ſponere, *d. auth.* idem ſentire videtur *Fel. cod. verſ. Ceterum* ait enim rationem eſſe, ne impediatur vita contemplativa. Idem ex Theologis tenet expreſſe *Beja ſumma, poſt caſum 66.* Ceterum omnino dicendum eſt, eam decisionem initi præſumptioni voluntatis teſtatoris, ubi enim oppoſitum minime declaravit, præſumit jus ſore, ut idem diſponeret teſtator, ſi meminiſſet, caſu quo juſſus matr. inire, religionem ingrederetur, & hoc religionis favore, & ita docet *Cov. n.* 11. *Menoch. n.* 14. *Mantica cod. tit.* 18. *n.* 31. *Mol na proxime citati, & permulti alii, teſte Menoch. ibi.* & conſtabit ex corollario ſtatim inferendo.

30 Ex ratione hujus deciſionis infertur, ubi conjecturæ ſunt, teſtatorem de nuptiis carnalibus intellexiſſe, non conſequi legatum, religionem ingredientem, quia ceſſat præſumptio dicta, ſic *Guil. Benedict. c. Raynut. verb. Qui cum alia, n.* 23. *de teſt. Mant. cod. t.* 18. *n.* 26. *Menoch. de præſumpt.* 148. *n.* 2. *Gutier. d. c.* 32. *n.* 18. 1. aut conjectura eſt, quando teſtator legavit puellæ, ſi nubat perſonæ certæ, tunc enim intelligi nequit de nuptiis ſpiritualibus: quare religionem ingrediens minime conſequetur. Sic *Bald. Novella, de dote p. 6. priv. 77. n.* 3. *Covar. c.* 3. *de teſt. n.* 11. *verſ. Sexto ex proxima, Roſella verb. Legare, aum.* 28. *Acoſta l. Cum tale, §. Si arbitratu, lim.* 6. *n.* 2. *ff. de cond. & demonſt. Mantica cod. t.* 18. *n.* 26. *Menoch. de præſumpt.* 140. *n.* 2. 3. 4. & 5. *Glut. d. c.* 32. *nu.* 17. Si tamen illa perſona certa obiit, dataquam puella ſit in mora, non obtinebit legatum, vitam cœlibem ducens; ſed aliud matrimonium iniret debet: quia teſtator de matr. carnali manifeſte intellexit. ſic *Bald. Nov. de dote 6. par. p. vi.* 76. *n.* 4. *ad fin. & priv* 77. *n.* 1. & 3. *Cov. d. c.* 3. *n.* 11. *verſ. Quinto inde colligitur, Perez lib.* 5. *ord. t.* 2. *l.* 1. *col.* 45. *verſ. Eſt tamen notandum, f.* 29. poteſt tamen hæc puella religionem ingredi, & obtinebit legatum, quia cum matr. injunctum a teſtatore impleri nequeat, veriſimile eſt teſtatorem idem diſpoſiturum, ſi in eo eventu puella religionem ingrederetur. Sic *Bald. Nov.* quamvis aliquantulum dubius, *d. priv.* 77. *n.* 5. & *Cov. d. c.* 3. *n.* 11. *verſ. Sexto ex proxima.* Si autem puella ipſa obeat, aut dives ſit, ipſa obeunte (quo caſu cum hæc conditio mixta ſit, ut dixi n. 24. perit legatum,) non poteſt diſtribui aliipuellæ religionem ingredienti, quia debet converti in ſimilem uſum, nempe in aliud matr. temporale, de quo teſtator intellexit. Sic *Bald. Novel. eo priv.* 77. *n.* 2. *Cov. d. c.* 13. *n.* 11. *verſ. Sexto ex proxima.* 2. conjectura eſt, quando teſtator reliquit tertio, ſi certa puella nupſerit, tunc enim non obtinebit legatum, ſi puella illa religionem ingreſſa ſit: ſic *Acoſta d. l. Cum tale, limit.* 4. *num.* 5. *Cumanum referens, Menoch. d. præſumpt.* 148. *n.* 7. ubi alios refert. 3. eſt, quando teſtator negative legavit, ut, Lego centum Titiæ, ſi non nupſerit, (hæc enim conditio, ſi Titia vidua ſit, valet) tunc ergo intelligitur de nuptiis temporalibus: quare ſi Titia religionem ingrediatur, obtinebit legatum, quia intelligitur ea conditio de nuptiis temporalibus, non enim veriſimile eſt teſtatorem voluiſſe retrahere a religionis ingreſſu, ſed ad eum invitare. Sic *Mantica d. t.* 18. *n.* 26. *Menoch. d. præſumpt.* 148. *n.* 6. ubi multos alios refert.

31 Major autem difficultas eſt, quando non certæ perſonæ matrimonio collocandæ, ſed indefinitæ puellarum matrimonio legatum relinquitur, utrum poſſit dari puellæ religionem ingredienti. Aliqui affirmant: per *auth. de ſanctiſ. epiſcop. §. Sed & hoc præſenti, col.* 9. ubi dicitur, conditionem nuptiarum eſſe invalidam, & pro non ſcripta haberi, quoties aliquis ſub illarum conditione donaverit, vel reliquerit liberis, vel cuicumque perſonæ, hæreditatem, vel legatum, & talis perſona religionem ingrediatur. 2. quia non videtur major ratio, ſi ve legetur certæ perſonæ, ſive incertis, ſed priori caſu debetur ingredienti religionem, ergo poſteriori poteſt dari religionem ingredienti. 3. quia religionem ingredians dicitur matr. ſpirituale contrahere: ut *Bart. d. §. Sed & hoc præſenti, n.* 2. & *Cyn. auth. Niſi rogati. C. ad SC. Trebel. & ibi Bald. in princ.* & *Paul. de Caſtr.* & *Sal.* notant, reddentes rationem illius deciſionis: & conſtat ex illo ad Tim. 1. c. 5. *Cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt,* & ita hoc appellatur *c.* 2. & *c ult. de tranſact. præl.* & *c. Ex publico, de conſenſ. conjug.* 4. probatur ex doctrina, quam tradunt *Crotus, l. Filiuſ ſum. §. Divi, n.* 62. *ff. de legat.* 1. *Socin. c. Qualiter, el* 2. *q. ſua. penul de accuſ. Rota. conſ.* 35. *n.* 20. *l.* 3. nempe ſtatutum aliquid diſponens contra cognoſcentem conjugatam, habere locum contra cognoſcentem monialem. Ultimo, quia *Jacobus de S. Georgio in ſua inveſtitura, verb. Qui quidem inveſtiti, in fin.* ait ſe conſuluiſſe cum multis præſtantiſſimis viris, ſubditos ex conſuetudine obligatos ad ferendum opem domino collocanti filias matrimonio, teneri ſimiliter dum eæ religionem ingrediuntur. Hanc ſent. ſuſtinet *Nata conſ. 296. n.* 4. & explicat *Bald. d. auth. Niſi regati, n.* 11. dicentem executores deputatos ad certam quantitatem pro virginum matrimonio diſtribuendam, nihil poſſe diſtribuere pro virginis ingreſſu in monaſterium, quia hoc non habent in mandatis: explicat (inquam) ut minime intelligat de legato, ſed de mandato: illud enim late interpretandum eſt, *c. Cum dilecti, de don. l. In teſtamentis, ff. de regul. jur.* hoc autem ſtricte *c. Cum dilecta, de rejcripto. l. Diligenter, ff. manda.* & conſtat ex ratione ejuſdem *Bald.* feliciter quia id non habebant in mandato; ejuſdem ſent. videtur *Boerius dec.* 3. *n.* 13. ubi doctrinam *Baldi* prædictam explicat, ut non tanta dos tribui poſſit ingredienti monaſterium, quanta matrim. incunti.

32 Ceterum dicendum eſt id legatum diſtribui non poſſe ingredienti monaſterium, ſed ſolis matr. temporale ineuntibus. Prob. quia diſpoſitio illa *auth. de ſanctiſſ. epiſcop. §. Sed & hoc præſenti, collat. 9.* exorbitans eſt a jure petenti conditiones in vera, & ſpecifica forma impleri, & non ficta. *l. Mævius, & l. Qui hæredi. ff. de condit. & demonſtr.* quare ad alios caſus trahenda minime eſt, ut bene *Beroius in ſui. qu. 9. 34. n.* 6. & 7. *Deciſio Pedem. 126. n.* 12. ſed loquitur de legato facto perſonæ certæ ibi, *ſive reliquerit ſuis liberis, ſive alii cuicumque perſonæ,* ergo non eſt extendenda ad legatum relictum incertis perſonis. Et confir. quia longe diſpar eſt ratio, quia quando legatum relictum eſt certæ perſonæ ſub nuptiarum conditione, & illa monaſterium ingreditur, non poteſt legatum in ſpecifica forma impleri, ſi alii feminæ nupturæ tribuatur, & teſtator habuit ſpecialem affectionem ad ſubveniendum illi feminæ: quare non eſt mirum, ſi jus præſumat voluiſſe illi legare teſtatorem, etiam caſu, quo ingrediatur religionem, dum de contraria ejus voluntate minime conſtat: verum quando legatur incertis perſonis matrimonio collocandis, poteſt omnino in vera & propria forma impleri, ſi matrim. temporale contrahentibus detur, nec teſtator affectum habuit ſpecialem ad eam, quæ religionem ingreditur. Tandem, quia ſimile videmus in hoc caſu, legavit teſtator certæ virgini matrimonio collocandæ: ſi tempore teſtamenti jam nupta eſſet, poſſet utique illi legatum dari, ſecus eſſet, ſi incertis matrimonio jungendis legatum eſſet: ut probant *Bald. l. fin. C. de jent. quæ ſine cert. quant. nu* 14. *Alex. conſ.* 146. *vol.* 5. *Elpp. rubr. de fidejuſſ. n.* 85. *Jo. Lup. c. Per veſtras, de don. inter. vir. & uxor. notab* 3. §. 13. *n.* 6. *Mexia ad l. Toleti. p.* 12. *fundam.* 1. *n.* 5. *Perez l.* 5. *ord. t.* 2. *l.* 5. *col.* 47. *verſ. Dubium eſt quotidianum, f.* 79. & refert ſatis nem: quamvis in neutro caſu poſſe dari, affirmant *Tiraq. l. Si unquam, verb. Suſceperit. n.* 187. *C. de rev. don. Mantic. de conject. ult. vol. l* 12. *t.* 1. *n.* 13. niſi tempore teſtamenti, vel poſt illud conditum, dum mutare potuit teſtator, noverit illam eſſe nuptam: ſed primum eſt verius, ergo ſimiliter in noſtro caſu, diverſum ſentiendum eſt, ſi incertis legetur: & ideo hanc ſent. tenent *Barbatius conſ.* 23. *n.* 2. *vol.* 1. *Bald. auth. Niſi rogati, n.* 11. *C. ad SC. Trebel. Fel. c. Eccleſia, de conſt. q.* 6. *n.* 79. *verſ. Et proſta. Bald. Nov. de dote, priv.* 77. *n.* 2. *Guil. Bened. c. Rayn. verb. Qui cum alia, n.* 31. *de teſt. Bertach. in repert. ver. Legatum pium, verſ. Legatum pro virg. maritandis, Joan. Lup. d.* §. 12. *n* 6. *Loazes in repet. l. Filiuſ ſum. §. Divi, n.* 139 *ff. de legat.* 1. *Mantica de conject. ult. vol. l.* 8. *t.* 5. *n.* 22. *Baeza de non meliman. c.* 14. *n.* 9. *Perez d. l.* 1. *f.* 75. *col.* 31. *verſ. In caſu vero Gut. conſ.* 26. *n.* 13. & *q. van. l.* 1. *c.* 32. *n.* 20. & videtur expreſſe tenere *Cov. c.* 3. *de teſt n.* 11. *verſ. Sexto ex proxima,* ubi doctrinam hanc *Bald.* videtur approbare: & immerito *Nata* voluit explicare Baldum, ut loqueretur de mandatario: cum fere omnes citati, & *Cov.* de executore teſtamenti illum intelligant: & ita loquantur de legato relicto pro virginibus maritandis, & illa auth. quam *Bald.* commentabatur, & *ipſemet Bald. ibi* de legatis ſermonem habent: nec obſtat ratio Balbi, ſcilicet, quia id executores in mandato non habent: non etiam executoribus teſtamentariis datur mandatum legata exequendi. Hoc tamen fatendum eſt, ſi legatum eſſet ad matrimonio collocandas teſtatoris neptes, dandum eſſe nepti ingredienti religionem: nam propter præſumptam teſtatoris affectionem erga ſanguine junctos, plenius & latius venit interpretandum legatum, *l. Aurelius, §. Titius teſtamento ſacto, ff. de liber. legat. ibi, præſumptio enim propter naturalem affectum facit omnia patris videri conceſſa. Sic Nata conſ. 296. n.* 6 *Mantica d. t.* 5. *n.* 22. Nec obſtant adducta incontrarium, nam §. *Sed hoc præſenti,* non ſic intelligitur, ut ea conditio nuptiarum habeatur pro non ſcripta, ſed ut ex præſumpta teſtatoris voluntate habeatur pro impleta per ingreſſum religionis ut bene explicat *Cov. l. var. c. 19. n.* 11. Sed loquitur in caſu ſpeciali, quando legatum fit certæ perſonæ. Ad 2. conſtat ex dictis, rationem enim diſparitatis aſſignavi. Ad 3. fateor ingreſſum religionis eſſe quoddam matr. ſed metaphorice & impropriè, conditio autem in vera, & ſpecifica forma impleri debet. Ad 4. ea doctrina eſt neganda, & ita eam impugnant *Fel. ead. n.* 79. & *Loazes hoc n. cit.* Ad 5. ſimiliter ea doctrina eſt neganda; nam conſuetudines, & ſtatuta odioſa extendere, contra rationem eſt.

Ad arg. n. 1. propoſita, ad 1. dixi n. 2. & ad 3. reſpondi n. 8. 33
ad 2. autem dico conditionem, quæ non inducit viduitatem ſimpliciter, ſed reſpectu certæ perſonæ, minime rejici.

DISPUTATIO XXXIV.

Utrum pœna conſiſtens in lucro non acquirendo, retrahens a matrimonio, valide apponatur, ut ſi legatum, vel donatio fiat ſub conditione ducendi vitam cœlibem.

SUMMARIUM.

Quot ſint difficultates diſputandæ: & jus rejiciens aliquas conditiones habet etiam locum in foro conſcientiæ, ubi de teſtatoris voluntate conſtat. nu. 1.

An conditio abſtinendi a matrim. vel arbitrio alicujus illud contrahendi, rejiciatur a contractibus, vel illos vitiet nu. 2. *ubi, an conditiones impoſſibiles vitient contractus, & legata a legatis, & hereditate, & donatione cauſa mortis, rejicitur conditio inducens viduitatem, & poteſt legatarius, vel hæres vindicare.* 3.

An hoc ſit verum, caſu, quo legatarius uxorem ducere velit, quod ſi nolit, non acquirat legatum. 4.

An conditio virgini adjecta in legato, non nubendi, valeat, ut ſaltem virtute illius teneatur a ſecundis nuptiis abſtinere, & tradendum ſit legatum ſub cautione Mutiana. 5.

Quid

Quid ſi alicui legentur centum ſi nupſerit, & ducenta, ſi non nupſerit: etſi teſtator expreſſe diſponat, ut caſu quo nupſerit, nihil detur: & caſus omiſſus manet in juris communis diſpoſitione, 6.

Quid de conditione, ſi Titius filios non habuerit, vel ſine liberis deceſſerit, 7.

Quid ſi extraneo legentur centum, ſi Bertæ non nupſerit, & rogatus ſit illa Bertæ reſtituere, 8.

Quid ſi legataria ſi non nupſerit, rogata ſit id legatum alteri reſtituere, 9.

Quid ſi patri, tutori, vel curatori, vel amico, legetur aliquid, ſi Berta non nupſerit, vel Bertæ, & extraneo aliquid legetur, ſi ea non nupſerit, 10.

Quid de conditione avertente a religionis ingreſſu, etiam viduæ apposita, 11.

Quid ſi alicui legentur centum, ſi nupſerit, quinquaginta vero ſi religionem ingrediatur. 1. opinio affirmans 12. *contraria verior,* 13.

An licite minus legetur filiæ, ſi ingrediatur religionem, quam ſi nubat, & in majoratibus apponatur clauſula excludens religioſos, 14.

An valeat legatum factum alicui ſi religionem ingrediatur, vel ſacerdos fiat, vel continenter vivat, n. 15. *aut ſi caſte, & honeſte vivat, ibid.*

Legatum factum alicui ſi religionem ingrediatur, an obtineat, ſi novitiatus tempore exeat, & uxor cui vir legat, ſi habitum tertii ordinis aſſumat, & illa exit: ponitur opinio negans, 16.

Contraria verior n. 17. & explicatur *l. Reprehendenda C. de inſtitut. & ſubſtit. ubi an voto religionis ſatisfaciat ingrediens, & egrediens: & ſit differentia: Voveo religionem, vel me fieri, aut eſſe.*

Quid ſi legatarius ſub conditione ſi religioſus fiat, primo ducat uxorem, & deinde viduus, fiat religioſus, 18.

Quid de conditione matrimonii ineundi arbitratu, vel conſenſu talis perſonæ, licet arbitrium importet non nudam voluntatem, ſed prudentialem, 19.

An talis condtio ſi arbitratu alicujus femina nupſerit, omnino rejiciatur, 20.

An valeat, ſi pater in legato ultra legitimam, gravet filium, ne uxorem ducat ſine matris, vel alicujus propinqui conſenſu, 21.

Quid de conditione, ut filius non ducat uxorem ſine patris conſenſu, 22.

Quid ſi ei, qui virginem defloravit, aliquid legetur, ſi de conſenſu patris illam duxerit, 23.

Quid de conditione, ſi de conſilio alicujus uxorem duxerit, & quid diſſet inter conſilium, & conſenſum, 24.

Quid in caſibus, in quibus quis tenetur ſequi conſilium, vel eſſet periculum in mora, 25.

Quid ſi ſi, cujus requiritur conſilium, vel conſenſus, ſit abſens, 26.

Quid ſi is, cujus eſt petendum conſilium, vivo teſtatore deceſſit, 27.

Quid ſi apponatur conditio, ſi Titius non duxerit uxorem, habeat poſt mortem ſuam, vel poſt tale tempus, centum, 28.

Poſt num. 28. *invenies cetera ſummaria.*

1 DUplex eſt diſputanda quæſtio. Prior, in quibus caſibus rejiciatur conditio nuptias prohibens: poſterior, in quibus caſibus valida ſit. Supponendum autem 1. eſt, conditiones, quas jus rejicit, in utroque foro invalidas eſſe, quamvis conſtet de contraria teſtatoris voluntate, ut dixi diſp. præc. n. 2.

2 Quæſtio I. eſt, in quibus caſibus jus rejiciat conditionem prohibentem nuptias. Sit I. concluſio. Conditio abſtinendi a matr. contractui adjecta non rejicitur, ſed vitiat contractum, atque irritum reddit, quando virgini ea conditio imponitur: virgini (inquam) id eſt ei, quæ non contraxit, ac conſummavit aliud matr. ut dicemus nu. 29. & 30. ut ſi quis ei promittat 100. ſi non nupſerit, promiſſio eſt irrita: & ratio eſt, quia hæc conditio reputatur jure impoſſibilis, ut bene *P. Molin. to. 2. de juſt. tr. 2. diſp.* 285. *fin.* & *Enriq. l.* 11. *de matr. c.* 12. *n.* 6. Nam quæ jure improbantur, vocantur impoſſibiles, *l. Conditiones, quæ contra bonos mores, ff. de condit. inſtit. l.* 3. *t.* 4. *p.* 6. hæc autem jure improbatur, ut n. 3. dicemus, & ita impoſſibilis eſt de jure: conditiones autem impoſſibiles, quamvis rejiciantur a legatis, non tamen a contractibus, ſed illos omnino vitiant, §. *Si impoſſibilis, inſtit. de inutil. ſtipul.* ibi, *ſi impoſſibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet ſtipulatio:* & idem in omnibus contractibus diſponitur, *l. Non ſolum, ff. de act.* & *obl.* & bene docet cum aliis *Mol. l. 2. de primog. c.* 12. *n.* 38. nomine autem conditionum impoſſibilium ad hunc effectum comprehenduntur, & quæ natura, & quæ jure impoſſibiles ſunt: ut conſtat ex legibus citatis, & docet *idem Mol. cod. c.* 12. *n.* 35. & in propriis terminis conditionem hanc non nubendi vitiare contractum, docet *Acoſta, l. Cum tale, §. Si arbitratu, lim.* 2. *n.* 1. *P. Molina d. diſp* 285. *fine.* Addit *ibi Molina,* vitiare has conditiones impoſſibiles de jure contractum, niſi impleatur. Cujus tamen contrarium credo: quia *t. §. Si impoſſibilis,* & *d. l. Non ſolum,* dicitur nihil valere ſtipulationem, neque contractum ſub conditione impoſſibili, at multum valeret, ſi ea conditione impleta obligaret. Præterea, quia faſtum eſſet vitiare contractum, ſed ſuſpenderet utique more conditionis honeſtæ, ejuſque obligatio ex conditionis implemento penderet: quare *Acoſta ead. lim.* 2. *n.* 2. ait, minime valere donationem, licet res tradatur virgini ſub conditione, ſi non nupſerit, & tanquam quid ſpeciale ait n. 3. ſi quis promittat virgini 100. aureos, ſi arbitratu Titii nupſerit, non abſurde ſentire eum, qui diceret illam conditionem, nec vitiare, nec vitiari, & ita obtinere promiſſum, ſi virgo conditionem impleat: imo etiam in hoc caſu credo vitiari contractum: quia perinde reputatur jure impoſſibilis conditio, ſi arbitratu alicujus virgo nupſerit, ac conditio, ſi non nupſerit, ut dicente n. 19. Rogabis tamen, quare ea conditio, ſi non nupſerit, & reliquæ impoſſibiles a contractibus non rejiciantur, ſed illos vitient, cum tamen a legatis rejiciantur, nec illa varient: varias rationes aſſert *Sarmiento 2. ſelect. c. 3. n. ult.* ſed ultra illas, addo hanc, ideo jus civile non ſuſtinet contractus rejecta conditione impoſſibili, quia contrahentes ipſi cum adhuc ſint ſuperſtites, poſſunt ſuos contractus ſic vitiatos ob conditionis impoſſibilitatem, efficere validos, remittendo conditionem impoſſibilem: at vero teſtator, qui jam obiit, non poteſt ſuam diſpoſitionem ad debitum modum reducere: unde oportuit, ut per legem ipſam reduceretur, rejecta illa conditione: quod non ſit in pœnam ſic teſtantis, quinimmo in ipſius favore, ſuppoſito enim voluiſſe illum de ſuis bonis diſponere, favor eſt illius diſpoſitionis, quia alias omnino corrueret, ſi ad debitum modum redigatur, ut valida ſit.

II. Concluſio, conditio abſtinendi a nuptiis, omnino rejicitur 3
ab hæreditate, vel legato, & ea rejecta, pure debetur; ut ſi virgini legentur 100. ſi non nupſerit, obtinebit illa, quaſi pure, & abſque omni conditione illi relicta eſſent. Habetur expreſſe *l. Quoties, 22. l. Cum tale, 71. §. Mœviæ, & l. Titiæ ſi non nupſerit, ff. de condit. & demonſt.* & ratio hujus deciſionis eſt, ut habetur *l. 2. C. de indicta viduit.* quia reip. intereſt, ut multis ex legitimo matr. procreatis, augeatur. Quod adeo verum eſt, ut ex multis probat *Acoſta, l. Cum tale, §. Si arbitratu, ff. de condit. & demonſt. ampliat. 1. per totam,* poſſe legatarium id legatum vendiderare, ac ſi talis conditio appoſita non eſſet. Idem dicendum eſt, ſi donationi cauſa mortis eadem conditio adjecta ſit, ut bene docet *Acoſta ead. §. Si arbitratu, ampliat. 2. n.* 1. & 1. & ratio eſt, quia conditiones impoſſibiles non tantum a legato, ſed etiam a donatione cauſa mortis rejiciuntur, *l. Quæ ſub conditione, §. Et in mortis, §. de condit. inſtit.* eo quod cum revocabilis ſit, quoad eum effectum inter legata computatur, ut tradunt *Acoſta l. 1. ſelectar. c. 8. n. 3. Ant. Gom. 2. var. c. 4. n.* 18. *Molin. l. 2 d. primog. c.* 12. *n.* 40. *P. Mol. to.* 1. *de juſt. tr.* 2. *diſp.* 206. *conc.* 2. & *t.* 2. *d.* 185. *conc.* 2.

Ex his infertur non audiendum eſſe *Metinam, C. de reſtit. q.* 23. 4
verſ. Itaque quatuor conditiones. Ubi air diverſimode rejici a legatis conditiones impoſſibiles, ac turpes, & quæ nuptias prohibent, nam impoſſibiles, & turpes prorſus rejiciuntur: quæ autem nuptias prohibent, non abſolute annullantur, ſed tantum caſu, quo legatarius matrimonium inire velit. Sed dicendum eſt abſolute, & prorſus rejici, at pro non ſcriptis haberi ut docent *gloſſ. l. Titiæ ſi non nupſerit, ff. de condit. & demonſt. ſin. Covar. l.* 1. *var. cap* 19. *nu.* 10. *Riminal. conſ.* 215. *nu.* 172. *vol.* 2. *Mantica de conject. ult. vol. lib.* 11. *tit.* 19. *nu.* 1.

2. Infer non eſſe audiendum *Acoſtam, l. Cum tale, §. Si ar-* 5
bitratu, ff. de condit. & demonſt. lim. ult. n. 5. & *ſeqq.* ubi docet, hanc conditionem, non ineundi matrimonium, non rejici, quaſi nihil operetur, & pro non ſcripta habenda ſit: ſed nihil prorſus valere reſpectu primi matr. valere tamen reſpectu ſecundi. Ut ſi virgini legentur 100. ſi non nupſerit, obtinebit legatum, prima vice nubens, illud tamen amittet, ſi ſecunda vice nubat. Et probat. quia ea conditio, ſi non nupſerit, cum ſit negativa, eſt perpetua, & proinde includit quodlibet matr. futurum, ergo ſicut valeret relictum virgini, hac conditione, ſi ſecundo non nubat: & relictum hac conditione, ſi nec primo, nec ſecundo nubat, rejiceretur, quoad primas nuptias, non vero quoad ſecundas: ſimiliter ea conditio negativa, ſi non nupſerit, valebit quoad ſecundum matr. rejecta quoad primum. Unde infertur nu. 6. legatum non eſſe tradendum per hæredem, abſque cautione Mutiana reſtituendi legatum, cum fructibus, ſecundis nuptiis initis. Sed dicendum eſt, eam conditionem abſolute, & prorſus rejici, & haberi pro non ſcripta: ut docent omnes DD. citati n. præced & ratio eſt, quia revera teſtator de primis nuptiis intellexit, ſermo enim ſimpliciter prolatus de prima vice intelligitur, *l Boves, §. Hoc ſermone, ff. de verb. ſign.* Et licet verum ſit, conditionem negativam eſſe perpetuam, & omnes nuptias includere, id tamen tunc habet locum, quando utiliter, & pro jure promiſſio exprimitur. Tandem quia ſi hæc ſent. eſſet vera, non poſſet legatarius id legatum vindicare: cum prius cautionem præſtiturus eſſet, cujus tamen contrarium ex ipſomet Acoſta diximus num. 3.

3. Infertur ſi legentur virgini 100. ſi nupſerit, ducenta vero, 6
ſi non nupſerit, poſſe eam illa 200. capere, etſi nubat: quia ea conditio eſt nulla, habetur expreſſe *l. Titiæ ſi non nupſerit, ff. de condit. & demonſtr.* & docent *Bart. & alii,* quos refert, & ſequitur *Covar. l.* 1. *variar. c.* 19. *n.* 9. & 10. *Sil. Hereditas,* 4. *fine.* Unde non eſt admittendum, quod docet *Metina. C. de reſtit.* 23. *verſ. Reſpondeo ſalvo meliori judicio, verſ. Ad tertium,* quem ſequitur *Gutier. 2. l. q. can. c.* 25. *n.* 15. ubi tuetur dicit in neutro foro deberi legatum virgini, ſub conditione ſi non nupſerit, quando teſtator expreſſit ſuam voluntatem eſſe, ut nubens nihil obtineret: ut ſi ſic dicat, Lego Mariæ ſi non nupſerit, & ſi forte nupſerit, nihil lego, & probat *Gutier.* quia jura loquuntur de ſimplici conditione non nubendi, quando autem teſtator ulterius procedit exprimendo ſuam voluntatem, nihil decidunt: unde tanquam caſus omiſſus remanet in juris communis diſpoſitione, *l. Commodiſſime, ff. de lib. & poſth.* quod præſcribit, teſtatoris voluntatem ad unguem ſervandam eſſe. Ceterum dicendum eſt omnino rejici eam conditionem, contra expreſſiſſimam teſtatoris voluntatem in utroque foro: ut probavi diſp. præc. n. 2. Item quia dum teſtator legavit 100. ſi nupſerit, & 200. ſi

non

non nupserit, virgini, aperte suam voluntatem expossuit, & tamen jus decrevit deberi illa 200. nubenti. Item id probo ex l. Cum tale, §. Mævia, ff. de condit. & demonstr. ibi: Mævia l. Cum tale, §. Mævia, ff. de condit. & demonstr. ibi: Mævia non nupserit, fundum, cum moretur, potest dici, & si nupserit non nupserit, fundum, cum moretur, potest dici, & si nupserit vit, eam confestim ad legatum admitti, ubi manifeste testator vit, eam confestim ad legatum admitti, ubi manifeste testator expressit suam voluntatem esse, ut Mævia post mortem obtineret legatum, casu quo usque tunc non nupserit, & tamen ita expressit suam voluntatem esse, ut Mævia post mortem obtineret legatum, casu quo usque tunc non nupserit, & tamen ita jus rejicit eam conditionem, ut nec tempus mortis expectetur, jus rejicit eam conditionem, ut nec tempus mortis expectetur, sed statim deberi legatum statuit: & reddit rationem gloss. verb. sed statim deberi legatum statuit: & reddit rationem gloss. verb. Eam confestim; quia ideo testator voluit mortis tempus expectari, quia tunc, & non antea, certum est eam conditionem Eam confestim; quia ideo testator voluit mortis tempus expectari, quia tunc, & non antea, certum est eam conditionem nubendi, impletam esse, cum autem ea conditio spernatur, superfluum est, ejus diem expectari.

7 III. Concluf. conditio a liberis procreandis avertens, similiter prorsus rejicitur: ut, Lego Titio 100. si filios non habuerit, vel si sine liberis decesserit, ratio est, quia conditio non nubendi, jure rejicitur gratia procreandæ sobolis, ut dixi n. 3. ergo a fortiori conditio avertens a sobole procreanda. Sic Socin. conf. 98. nu. 7. lib. 3. Acosta, l. Cum tale. §. Si arbitratu, ampliat. 1. n. 4. ff. de condit. & demonst.

8 IV. Concluf. non valet conditio, etiam si extraneo legentur 100. si virgo non nupserit, & ea restituere rogatus sit illi virgini: debebitur enim legatum, licet nubat. Quia mulier ad viduitatem invitatur, ut legatum comparet. sic Acosta cod. §. Si arbitratu, ampliat. 5. per totam, Mantica de conject. ult. vol. l. 11. t. 19. n. 5.

9 V. Concluf. non valet etiam conditio, si mulier, cui relictum est legatum, si non nupserit, rogata esset illud restituere, ut, Lego Titiæ si non nupserit 100. ut det Titio: nam etiam si nupserit, accipiet legatum, & restituet Titio, quia censendum est, ac si pure, & absque conditione recepisset, ut Titio restitueret, habetur expresse l. Non dubium, ff. de lega. 3. & probat late Acosta ibi. tota ampliat. 6. Mantica cod. to. 19. n. 4. secus esset (ut bene ait ibi Mantica) si legentur virgini 100. si non nupserit, & casu, quo nubat, ejus fidei committatur, ut restituat Titio: nam etiam si nubat, retinebit legatum, nec restituet Titio. Habetur expresse l. Quoties, ff. de cond. & demonst. quia illud fidei commissum induceit viduitatem.

10 VI. Concl. non valet conditio nuptias prohibens, adjecta legato relicto patri, tutori, vel curatori, vel amico ita consuncto cum persona, quæ abstinere debet a nuptiis, ut probabile sit fore, ut ea abstineat, ne legatarius amittat legatum illud, ut in simili diximus de pœna sponsalibus adjecta, disp. 30. n. 3. Sic Acosta d. §. Si arbitratu, tota ampl. 9. & maxime n. 6. & lim. 4. n. 1. & seq. Ant. Gabr. to. 2. com. l. 10. in mea edit. verb. Legatum, fol. 19. Mantica de conject. ult. vol. l. 11. tit. 19. n. 15. idem dicendum est, si legatum illud relinquatur consanguineis, ut bene Jason. d. l. n. 1. C. de indict. idust. ut idem diximus de pœna d. disp. 3. n. 3. Si autem legatum relinquatur Titio, & extraneo: si Titia non nupserit, rejicitur conditio pro parte Titiæ debita, & ita illam statim consequetur, valebit tamen pro parte extraneo relicta, & ita nubente Titia, nec illa, nec extraneus eam legati partem comparabit: sicut d. disp. 30. num. 5. diximus valere pœnam sponsalibus per extraneos adjectam: quia non est verisimile, Titiam a nuptiis retrahendam esse, ne extraneus illam legati partem amittat: sic Mantica ibi.

11 In dubium autem vertitur, an idem dicendum sit de conditione aversa tenre a nuptiis spiritualibus, ut si Titiæ legentur 100. si ingressa religionem non fuerit. Aliqui enim eam conditionem rejici sentiunt, per auth. de sanctiss. Episc. §. Sed & hoc præsenti. collat. 9. ubi habetur, eam conditionem pro non scripta haberi, item quia valet argumentum a matr. carnali ad spirituale, ut late Everard. loco a matr. carnali, ad spirituale, ergo sicut rejicitur a matr. carnali, ita a spirituali: sic Bald. & Dec. quos refert, & sequitur Acosta l. Cum tale, §. Si arbitratu. ff. de cond. & demonst. ampl. 11. nu. 1. Aret. & Fel. quos refert, & sequitur pariss. c. In præsentia, de prob. nu. 137. & 143. Everar. loco a matr. carnali, ad spirituale, n. 5. Rolan. conf. 55. n. 20. & 25. l. 3. & ex Theol. Metina, G. de restit. q. 23. §. Itaque quatuor conditiones, Ledes. 2. p. 4. q. 18. art. 1. dub. 12. f. 227. col. 3. Addit Acosta cum Decio contra Angel. reprobari eamdem conditionem etiam viduæ adjectam, quamvis secus sit in conditione non nubendi: quia in conditione avertente a religione, eadem est ratio in virgine, & vidua: limitant tamen idem Acosta, & Everar. cum aliis, quos referunt, quando conditio non ingrediendi monasterium est generalis, secus si prohibeatur ingressus talis monasterii, tunc enim valebit conditio, si alia monasteria sint, ad quæ commode sic prohibitus recipi possit. Ceterum multo verius est, eam conditionem minime rejici, sed valere: quia, quamvis religionis status perfectior sit, at jus non tribuit illi hunc favorem. Item, quia quamvis conditio illa religioni adversa sit, favet tamen matrimonio, & sobolis procreationi. Item: quia non est verisimile aliquem arcendum a religionis ingressu, eo quod legato privetur, cum ad id ingrediatur, ut sæculo & bonis temporalibus, per tria vota, renunciet. Deinde quia ingressus religionis respicit privatum ingredientis bonum; matr. autem bonum reipubl. commune, quod in liberis procrandis versatur, unde non mirum est, si jus non ita faveat ingressui religionis, ac matr. unde non obstat auth. in contrarium adducta, quia disp. præc. num. 32. illam explicuimus. Nec etiam obstat arg. a matr. carnali, ad spirituale: illud enim, ubi eadem ratio in utroque militat, locum habet, secus ubi diversa, ut hic. Tandem, quia d. auth. de sanctiss. episc. tantum procedit ex præsumpta voluntate testatoris, non autem contra ejus expressam voluntatem, ut probavi disp. præc. nu. 29. & 30. ergo quando exprimit suam voluntatem esse, se nolle legare, vel instituere, casu quo legatarius religionem ingrediatur, ea conditio servanda est. Et ita tenent Covar. l. variar. c. 19. n. 10. Mantica cum Paulo, Alex. & Decio per ipsum citatis de conject. ult. vol. l. 11. t. 18. n. 31. Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 83. num. 18. 19. & 23. Gutier. lib. 2. qu. can. c. 25. nu. 5. P. Molin. to. 1. de justit. tract. 2. disp. 207. ad fin. in solut. ad 1.

Ex his infertur decisio illius quæstionis, an si legentur Titio 12
200. si uxorem duxerit: 100. vero, si religionem ingrediatur, confecturus sit, religionem ingressus illa 200. vel 100. solum, ut testator disposuit? Multi enim affirmant eum confecturum illa 200. eaque ratione ducuntur, quod illa conditio tanquam adversa religioni invalida sit. Sic docent Bart. & Socin. l. 2. ff. de his quæ pœnæ causa. n. 1. (alias habetur hic titulus pœnæ nomine) Anton. c. In præsentia, n. 27. de probat. & ibi Aret. n. 72. Fel. n. 37. Parisius n. 134. Berosius n. 494. Jason. auth. Si qua mulier n. 11. & 15. G. de sacros. Eccl. Rosella verb. Legare, n. 27. Angel. verb. Hæres. n. 21. Silv. Legatum, 1. q. 9. & Hæredit. 4. fine, ubi Arm. nu. 22. Tab. verb. Hæres, qu. 16. nu. 17. Rolan. conf. 35. n. 17. l. 3. Ever. loco a matr. carnali, ad spirit. n. 8. Acosta l. Cum tale. §. Si arbitratu, ampliat. 11. nu. 5. ff. de condit. & demonst. Ant. Gabr. to. 2. comm. in mea edit. l. 10. verb. Legatum, fol. 8. & multi alii, quos hi referunt. Et ex Theologis Beja summa, post casum 66. Limitat Fel. ibi, nisi testator certum monasterium designasset, ut, Lego Titio centum, si nupserit, 50. vero, si ingrediatur tale monasterium: tunc enim si id monasterium ingrediatur, solum obtinebit 50. quod Acosta ibidem, n. 6. sic intelligendum dicit, ut ingrediens monasterium, solum 50. obtenturus sit, at quodcumque aliud ingrediens, integra centum. Et hæc sententia probabilis est.

Tenendum tamen est, tanquam multo probabilius, ingredi- 13
entem religionem solum 100. confecturum, quia conditio a religione retrahens, non est invalida, nec contra expressam testatoris voluntatem rejicienda est: ut late probavimus n. 12. ergo ubi expresse testator disposuit, quid ingrediens religionem confecturus sit, quid autem uxorem ducens, id observandum est. Sic docent Bald. auth. Nisi rogati, n. 11. C. ad SC. Trebell. & l. Deo nobis, n. 1. & 2. C. de episc. & cleric. ubi Paul. n. 5. & d. auth. Nisi rogati, n. 3. & l. Titio centum, §. 1. in fine, ff. de condit. & demonstr. Guliel. Benedict. c. Raynutius, verb. Qui cum alia, n. 32. de testam. & multi alii, quos referunt, & sequuntur Covar. lib. 1. var. c. 19. nu. 8. 9. & 10. Mantica de conject. ult. vol. l. 11. tit. 18. d. 29. & tribus seq. Decian. conf. 41. n. 30. l. 1. Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 83. n. 26. Perez. l. 5. ord. t. 2. l. 1. ad fin. ante verb. Con buenos testimonios, Gutier. q. canon. l. 1. c. 32. nu. 58. Et ex Theologis, P. Molina tom. 1. de just. tr. 2. disp. 207. f. 1268. Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 35. fol. 1037. Ut tamen evitentur opiniones, sic legari potest ut ingrediens religionem id solum consequatur, quod testator vult: Lego Titiæ 100. & ei, qui eam duxerit, ducenta. Sic Bart. Roland. a Valle, nu. 31. ubi alios refert, citati nu. præc. Mantica, n. 35. Gutier. nu. 16. proxime citati.

Observandum est quamvis impium sit, testatorem aliquam 14
adjicere conditionem, eo fine ut a religionis proposito aliquem avertat, justissime tamen posse minus legare filiæ, si religionem ingrediatur, quam si nubat, non ut eam a religionis proposito retrahat, sed quia major dos nubenti necessaria est, & quia majorem bonorum partem vult posteris & familiæ relinquere. Sic alios referens Covar. n. 10. Molin. & Lud. Lop. relati nu. præced. Unde in primogeniis, & meliorationibus ea conditio admittitur, ut nec Monachi, nec sacro ordine initiati succedere in eis possint. Hæc enim conditio non eo tendit, ut ab hoc statu retrahat, sed ut familia conservetur. Sic Joan. Lup. rubr. de donat. §. 16. n. 4. & 14. Covar. n. 10. & 11. & P. Molin. cit. n. præced. Molina lib. 2. de primog. c. 12. n. 54. Marzarius epitom fideicommiss. q. 31. Gutier. lib. 2. qu. canon. cap. 25. n. 6. ubi limitat cum Molin. n. 55. quando majoratus est regia facultate institutus, non quando ex tertia bonorum parte absque regia facultate servandus est ordo præscriptus l. 27. Tauri.

De contraria autem conditione, quæ ad religionem invitat, 15
non est certum apud DD. an valida sit, ut si legatum fiat alicui ea conditione, ut religionem ingrediatur: quidam enim censent, invalidum esse, quando virgini apponitur, eo quod viduitatem inducat, illique æquivaleat, si non nupserit: sic Bart. cons. 45. Riminal. cons. 215. a n. 176. usque ad 181. vol. 2. Sed dicendum est, eam conditionem valere, quia justum est præmii spe ad religionem allicere, nec conditio directe tendit ad nuptias impediendas, sed id per accidens, & indirecte est; directe autem tendit, ut alliciat ad statum perfectissimum, nec præsumendum est, jus voluisse conditionem hanc, ob matrimonii favorem, annullare. Sic Bald. auth. Cui relictum, n. 3. C. de indic. viduit. & ibi Paul. & Jason, n. 4. & Corneus dicit hoc esse benignius: Covar. l. var. 1. 19. nu. 10. Acosta, l. cum tale. §. Si arbitratu, lim. 3. nu. 1. ff. de condit. & demonst. Ant. Gom. 1. var. c. 12. nu. 78. Ant. Gab. tom. 2. comm. in mea edit. l. 10. verb. Legatum. f. 19. P. Molin. tom. 1. de just. tr. 6. disp. 207. fol. 1265. Similiter valet conditio. Si fiat facerdos, eadem ratione sic Covar. & Molina ibi. Non tamen valet hæc conditio, Si continenter vixerit, quia directe expellit nuptias, secus si caste, & honeste vixerit: quia ducens uxorem dicitur caste, & honeste vivens, sic Mantica de conject. ult. vol. l. 11. tit. 19. n. 29. & 30.

Dubitabis tamen, an legatum sub ea conditione ingrediendi 16
religio-

religionem relictum, comparet ingrediens, si anno novitiatus exeat, qua in re multi satis probabiliter asserunt, minime consequi, quia verba cum effectu intelligi debent, c. Relatum, de cler. non resid. quæ præsumendum est, testatorem actum vanum voluisse, qualis est ingressus professione minime secuta, 2. per l. Reprehendenda, 5. C. de instit. & substit. ibi, redi igitur ad maritum, scient hæreditatem matris sibi redituris, retenturam: quippe quam retinetes, licet ab eo non recessisses. Ex quibus verbis constat non requiri perseverantiam in conditione divortii a viro, sub qua legatum relictum est: eo quod conditio erat turpis, ergo a contrario sensu, quando conditio honesta est, qualis est religionis, requiritur perseverantia, sic tenent Palaus, l. Si quis hæredem, n. 3. C. de instit. & substit. ubi Alexan. n. 2. & l. In substit. n. 12. ubi Imola, n. 4. ff. de vulga. Et in simili casu de legato relicto per virum uxori, si assumpserit habitum tertii ordinis D. Francisci, minime eam consequi, si semel assumptum dimiserit: docent Bald. d. l. Si quis hæredem n. 6. Salic. n. 3. Bart. autem d. l. Si quis hæredem, n. 2. & Ang. d. l. In substitutione, dubitant, & nihil decidunt.

27 Verum probabilius est legatum consequi. Prob. ex l. Si quis hæredem, 7. C. de instit. & substit. ibi, sanximus quandocumque impleta fuerit conditio, sive vivo eo, sive mortis tempore, sive post mortem, conditionem videri esse completam. Ex quo textu colligunt omnes scribentes satis esse conditionem semel temporis momento impleri, ergo satis fuit legatarium impleyisse ingrediendo, quamvis postea exierit. Item, quia ingredi religionem, & in ea proteri, ut diversa ponuntur c. Beneficium, & c. Qui post votum, de reg. in 6. ibi, religionem aliam etiam laxiorem ingreditur, & profitetur in ipsa, ergo cum testator in conditione non meminerit professionis, sed solius ingressus, solo ingressu paretur conditioni: eo vel maxime, quia in dubio minime præsumitur aliam testatoris intentionem esse, quam verba significent, l. Labeo, §. Idem Tubero, ff. de suppellect. legat. Tandem quia vovens religionis ingressum, satisfacit voto, si ingrediatur, & novitiatus tempore exeat, quia votum ingressus, secundum formam juris communis, quod annum probationis ad experiendum indulget, intelligendum est, ubi non constat de contraria intentione, ut author est D. Th. 2. 2. q. ult. ar. 4. quem universi sequuntur, ergo similiter conditio ingressus religionis, adjecta a testatore, intelligi debet juxta eamdem juris communis dispositionem: quia in dubio testatoris verba non debent intelligi, ut inducant aliquid a jure exorbitans: ut est casus notabilis, l. Uxori, §. 1. ff. de legat. 3. & cum multis docet Mantica de conject. ult. vol. l. 5. t. 6. n. 1. & multis seq. Et ita hanc sent. tenent Lud. de Roma l. Permisceri, 52. §. Species, n. 4. ff. de acquir. possess. Jason. d. l. Si quis hæredem, n. 13. Brunel. de sponsalib. conc. 31. n. 12. Pro qua sent. facit, quod docet Mantica cum aliis, quos refert de conject. ult. vol. l. 6. t. 11. n. 5. nempe testatore filium instituente hac forma, Si filios non habueris, substituo Cajum, excludi substitutum habitis liberis, qui vivo filio obiere, eo quod conditio semel extitit, quamvis effectum non habuerit. Idem dicit Jason. eo. n. 13. casu, quo vir uxori legaret, si habitum tertii ordinis assumpserit, legatum nimirum eam consequi, habitu semel assumpto, & postmodum dimisso: cujus contrarium tenuerunt Bald. & Salic. cit. n. præced. Hæc tamen sent. intelligenda est dummodo ingressus in religionem bona fide animo experiendi fieret, exitusque ex causa justa esset, si enim legatarius eo solo animo ingrederetur, ut obtineret legatum, postea exiturus, vel bona fide ingressus, absque justa causa habitum dimitteret, non satisfaceret, sic dixit optime Fulgos. d. l. Si quis hæredem, n. 2. & prob. non satisfacere, si animo exeundi ingrediebatur, quia testator non intendit actum vanum, qualis est ibi. Item quia intendit ingressum religionis secundum formam juris, quæ est, ut quis bona fide ingrediatur, animo experiendi. Item quia hoc ingressu non satisfit voto ingrediendi religionem: ut docet D. Th. 2. 2. qu. ult. art. 4. ad 3. & ibi Cajet. Ricard. 4. dist. 38. a. 8. qu. 3. & ibi Palud. q. 4. a. 1. Abulens. c. 30. Num. qu. 93. ad 4. D. Ant. 3. p. tit. 16. c. 2. §. 4. Angel. Votum 3. n. 18. Silv. Religio. 2. qu. 19. Tabiena verb. Novitius, qu. 7. ubi Armilla n. 10. Viguer. l. institutionum, c. 17. §. 1. vers. 23. Palacios A. dist. 38. disp. 1. fol. 849. probatur etiam non posse ex sola libertate novitiis in jure conceffa exire: quia testator ad aliquid astringere voluit, ut legatarius ille legatum obtineret, sed ingrediens religionem seclusa quocumque præcepto, tenetur si omnia grata inveniat, sub culpa veniali permanere: ergo testator ea conditione gravare voluit, ne omnia grata inveniens, absque causa justa retrocedat: & ita minime satisfacit voto religionis, qui absque causa justa egreditur: ut docent Cajet. & Armill. proxime cit. Angles floribus, 2. p. qu. de voto, a. 2. difficult. 7. Passarel. super privileg. Minimorum, c. 43. Manuel 2. to. sum. c. 95. n. 2. Nec constituo discrimen, sive testator dicat sic, Lego Titio, si ingrediatur religionem, vel sic sit, aut fiat religiosus: quia in communi modo loquendi eodem pacto intelliguntur omnia verba hæc, quamvis in voto discrimen constituerint Cajetan. 2. 2. q. ult. a. 4. dub. 1. Armilla & Palac. proxime cit. Cova. de pactis, 1. p. §. 3. n. 12. dicentes voventem religionem, vel religiosum fieri, non vovere perseverantiam, & ita satisfacere, si ex causa justa exeat; voventem vero se futurum religiosum, censeri voveri perseverantiam, & ita rem esse voti, si egrediatur. Sed merito contrarium tenuit in voto Angles d. art. 2. dific. 6. & multi Neoterici viri doctissimi: quia nec testator, nec vovens has subtilitates attendunt, & in communi loquendi modo hæc omnia verba idem sonant. Nec obstat 1. arg. contrariæ sent. quia non est actus vanus, dum quis bona fide animo experiendi ingreditur, nec absque causa justa egredi potest: ad quod conditio illa astringit. Non obstat 2. quia diversimode respondetur ad illam l. Reprehendenda, cum Jasone, d. l. Si quis hæredem, n. 13. & alios, quos refert. 1. Non valere argumentum a contrario sensu quando resultat absonus intellectus contra jus, at hic resultaret contra d. l. Si quis hæredem, ex qua constat satis esse momento temporis conditionem impleri. 2. Nihil probare eam legem, quia imperator non inuitur conditionis turpitudini, sed arguit a majori ad minus, hoc modo; si non divertisset, obtineret, ergo a fortiori redeundo. 3. Ex mente testatricis colligi, voluisse eam conditionem perpetuo durare, odio enim viri præcepit divortium. Tandem in divortio ibi præcepto includi conditionem negativam, non redeundi, quæ perpetua est, nam divortium propriæ est animo perpetuo recedendi, l. Divortium, ff. de divort.

Utrum vero institutus sub conditione ingressus religionis, 18
obtineat legatum, si prius uxorem ducat, & viduus effectus religiosus fiat, dixi disp. præced. n. 17.

VII. Concl. non tantum conditio non ineundi matrimonium, 19
rejicitur a legato, sed etiam conditio ineundi arbitratu, vel consensu tertii; & ratio est, quia qui tenetur consensum, vel licentiam alicui petere, tenetur legati, atque ita matrimonii libertas impeditur: hæc conclusio habetur expresse l. Cum tale, Referibtum, ff. de condit. & demonstr. atque ita docent universi. Nec admittenda est aliquorum limitatio, quos refert Acosta ex l. Cum tale, §. Si arbitratu, ampli. 11. nu. 2. & 3. qui intelligunt hoc, quando arbitrium dicit meram voluntatem, secus quando prudentiale judicium: honestum enim est in matr. illud sequi, sed merito Acosta ibi, n. 7. Molin. l. 2. de primog. c. 13. nu. 35. cum aliis, quos referunt, id reprobant, quia cum ea conditio obliget ad sequendum arbitrium illud repugnat matrim. libertati.

Hæc tamen conclusio non ita accipienda est, ut ea conditio 20
omnino rejiciatur, sed eum duas claudat, alteram matrimonii ineundi; alteram vero, ut arbitratu talis personæ; hæc, ut matrimonii libertati adversa, rejicitur: illa vero, ut matrimonio favens est: sic Peralta l. 1. n. 32. ff. de leg. 2. Acosta d. ampl. ult. n. 17. Mantica multos referens de conject. ult. vol. l. 11. t. 18. n. 8. & confulendus est Acosta, qui circa illam conditionem, d. ampliat. ult. n. 2. & seq. aliqua notata digna animadvertit.

Hinc infertur contra Joan. Lup. c. Per vestras, notabilis 3. §. 21
21. n. 4. de donat. inter vir. & uxor. quem sequitur Peluez. de Meres de majorat 1. p. q. 50. n. 8. non valere conditionem, qua pater filium gravat in legato ultra legitimam, ne absque consensu matris, vel alicujus propinqui, uxorem ducat, quia textus, & Doctores indistincte eam conditionem rejicunt, ut adversam matrimonii libertati, & quamvis id legatum debitum non sit, si tamen relinquatur, conditiones jure improbatæ ab ipso rejicientur: sicut si extraneus legaret, & ita probat Acosta d. §. Si arbitratu, ampliat. ult. n. 2.

2. Infertur contra Antonium de Prato, quem refert, nec 22
improbat Mantica de conject. ult. vol. lib. 11. t. 18. n. 8. & Burgos de Paz cons. 20. n. 5. & seq. dicentem valere conditionem legato adjectam, ne filius absque paterno consensu uxorem ducat: id enim honestissimum, & omni juri consonum est: infertur (inquam) eam conditionem minime valere: quamvis enim honestum sit filios in matrimoniis contrahendis voluntatem paternam amplecti, jura tamen omnimodæ matrimonii libertati consulere volentia, omnes conditiones illi quocumque modo adversas rejecerunt: sic Acosta ad ampliat. ult. n. 13. Suarez l. 3. fori, tit. de los casamientos, l. 2. n. 21. & sod. Mol. l. 2. de primog. c. 13. n. 35. Gamma decis. 314. Et ex Theologis Enrig. l. 11. de matr. c. 6. & c. 12. n. 6. P. Molina to. 1. de just. tr. 2. disp. 297. fol. 1264. Manuel. 1. to. sum. 2 edit. c. 133. n. 6.

3. Infertur, si quis ei, qui puellam violavit, leget cen- 23
tum, si de consensu patris illam ducat, valere legatum, rejecta ea conditionis parte de consensu patris, quare etiam contra ejus consensum illam ducens, obtinebit legatum. Sic Acosta, d. ampliat. ult. n. 13.

VIII. Concluso, non rejicitur a legato ea conditio uxorem 24
ducendi cum consilio talis personæ: hæc est contra Dynum, Bald. Aret. Alberic. Joan. de Imola, Jacob. a S. Gregorio, quos refert, & sequitur Acosta, l. Cum tale, 8. Si arbitratu, limit. 11. n. 4. & seq. ff. de condit. & demonst. Sed probatur, quia hoc distat inter consilium, & consensum, quod jussus aliquid facere cum consensu, vel arbitratu alicujus, tenetur illud sequi, at jussus facere cum consilio petere quidem tenetur, sequi vero minime, l. Cum pater, §. Mando, ff. de legat. 2. & l. 23. tit. 2. p. 5. & late Menoch. cons. 69. n. 17. 18. vol. 1. Grattan. regul. to. n 1. docent, ultra Doctores citandos: ergo conditio matrimonii contrahendi, alicujus consilio petito, minime adversatur libertati matrimonii: & ita tenent Panor. c. Ex parte n. 4. de const. ubi Felin. n. 1. Decius, c. 1. Si pro debitate, n. 9. de offic. deleg. Cynus, Aimon, Paul. a Castro, Alend. & multi alii, quos referunt, & sequuntur Jason l. Turpia, §. 1. n. 4. ff. de leg. 1. Guill. Bened. c. Rayn. de test. verb. Qui cum alia, n. 88. Peralta l. 1. n. 3. ff. de leg. 2. Cov. 4. decr. 2. p. c. 3. §. 8. n. 3. Suar. l. 3. fori, tit. de los casamientos, l. 2. n. 23. Joan. Lupus, c. Per vestras, de don. inter vir. & uxor. not. ab. 3. 6. 3. n. 7. & 8. Mol. lib. 2. de prim. c. 13. n. 36. Peluez de Meres de Majorat 1. p. q. 50. n. 9. Menoc. cons. 69. n. 27. vol. 1. Zephalus consc. 319. n. 42. Mantica de conject. ult. vol. lib. 11. t. 18. n. 10. Avt. Cuc. liv. 5. instit.

major.

maj. t.12. n.210. Gratin. reg.83. nu.14. Et ex Theologis Enriq. lib.11. de matr. c.6.n.6. & c.12.n.6. Lud. Lop.2.p.instruct.de matr. c.36. f.1037. Manuel. 1.to. sum. in 2. edit. c.133. n.3. Observandum tamen maxime est, jussum cum alicujus consilio aliquid facere non satisfacere, si tantum consilium requirat, sed teneri expectare aliquantulo tempore consilium, quamvis illud sequi non astringatur: ut bene gloss. c. Cum consuetudinis, verb. Consens. de consuet. & ibi Hostiens. super illo verb. & probat ex c. Cum in veteri. de elect. Idem Abb. c. Cum vos, nu. 5. de his, quæ fiunt a prælat. alias frustra esset consilium petere.

25 Intellige tamen hanc conclusionem duplici temperamento. Prius est, nisi in casibus, in quibus non satis est petere consilium, sed necessario sequendum est: tunc enim ea conditio rejicitur, eo quod matrimonii libertati obstet: sicut conditio petendi consensum, sic Mol. l.2. de primog. c.13. n.58. qui autem sint hi casus, consule DD. quos ibi refert Molina. Posterius est, quoties magnum periculum in consilii requisitione versaretur, adeo ut ex hoc non tantum videatur matrimonii libertas impedita, sed omnino sublata, sic Abb. & Felin. quos refert, & sequitur Molina ibi n. 39.

26 Id observandum est, si is, cujus consilium requiritur, absens sit, & periculum sit in mora, potest actus sine ejusdem consilio expediri, sic colligitur ex gloss. Clem.1. de foro compet. vers. Diœcesanus, & docet Abb. ibi n.17. Bart. l. Si plures, ff. de exercit. Rebuff. praxi beneficiorum tit. de forma vicariatus n.95. Tiraq. l.16. connub. gloss.8. n.16. Merez de major. 1. part. qu.50. n.6. fine, Gratian. reg. 10. fine, & optime facit per locum a simili, c. unic. Ne sedes vac. in fine, n.6. Secus autem est, quando requiritur consensus: ut bene Rebuff. ibid. Dicitur autem non posse peti consilium, quoties is, a quo petendum est, longe distat, ut bene Abb. d. clem. 1. n.17.

27 Rogabis autem, quid dicendum sit, si is, cujus requirendum erat consilium, vivo testatore decessit. Quidam dicunt amitti legatum, quia l. Cum tale, §. Rescriptum ff. de condit. & demonst. dicitur, si conditio, si cum consensu Titii aliqua nupserit, apponatur, licet Titius vivo testatore decedat, non amitti legatum: & reddit textus rationem, quia ea conditio inutilis est: ergo a contrario sensu, quando conditio utilis est, qualis est petendi consilium, si is, a quo petendum erat, decedat, amittetur legatum. Sic tenet Suarez l. 3. fori, tit. De los casamientos, l.2. n.23. Alex. Dec. & Felin. quos refert, & sequitur Molin. lib.2. de primog. c.13. n.40. & 41. excipiens primogenia Hispana, ob præsumptam institutorum voluntatem. Sed verius est non amitti, quoties per legatarium non stetit, quominus conditio impleatur, quia is, cujus requirendum erat consilium, obiit. Quod defendit Mant. late probans, de conj. ult. vol. l.11. tit.18. n.11. quia est conditio potestativa. Nec obstat d. l. Cum tale, loquitur enim, quomodocumque conditio deficiat, etiam culpa legatarii, & ideo innititur defectui valoris conditionis; si enim valida esset, deficiens legatarii culpa, legatum annullaret.

28 Ultima conclusio, si legato adjiciatur conditio hæc, si Titia non nupserit, habeat post mortem suam centum, rejicitur non tantum conditio, sed etiam tempus, & statim legatum debebitur: secus si apponatur aliud tempus, sive certum, sive incertum, ut post biennium, vel cum Mævius fuerit consul; tunc enim spreta non nubendi conditione, valebit temporis adjectio, & ante ejus adventum non debebitur, habetur expresse l. Cum tale, §. Mæviæ, ff. de cond. & demonst. & ibi docent omnes: Ant. Gom. 1. variar. c. 12. nu. 78.

SUMMARIUM.

Conditio non nubendi in vidua valet, n. 29.
Nomine viduæ intelligitur, quæ matr. consummavit, non autem alias corrupta, 30.
Eadem conditio valet in viduo, 31.
Valet conditio arbitratu alicujus nubendi imposita viduæ, & quid, si ille arbitrari nolit, vel injuste arbitretur, c.32. & quid si vivo testatore arbitraturus decedat.
Valet conditio non ducendi uxorem imposita eunuchis, qui generare nequeunt, 33.
Quid favore causæ piæ, vel libertatis, ut, Lego Virgini, si non nupserit, & si nupserit, substituo pauperes, vel talis servus liber sit, 34.
Quid quando viduitas non est perpetua, & generalis, sed limitata quoad tempus, & personas, 35.
An valeat conditio, ut Titia non nubat ante 25. annum, vel ante tale tempus certum, vel incertum, 36.
Quid si testator dicat, Lego Titiæ si nupta non erit, & quando debeatur id legatum, 37.
Quid de conditione non nubendi in certo oppido, 38.
Quid de conditione non nubendi certis personis, 39.
Quid de conditione non nubendi ignobili, descendenti ex Judæis, vel Saracenis, n. 40. & ibi remissive, quæ diligentia adhibenda sit, ne perdatur legatum, & an satis sit nubere nobili ex sola linea paterna, vel ex privilegio.
Legatum feminæ, si Titio non nupserit, quando debeatur, & an sit præstanda cautio, & conditio negativa est perpetua. 41.
Jussus ne contrahat cum Judæis, si in primo matrimonio non pareat, & factus viduus pareat, vel econtra in priori matrimonio pareat, non autem in posteriori, an amittat legatum, licet matrimonium non consummaverit, & quid si matrimonium fuit irritum, 42.

29 QUæstio II. In quibus casibus conditio nuptias prohibens, valida sit; Prima conclusio, quamvis ea conditio virgini imposita rejiciatur, admittitur tamen in vidua auth. de nuptis, §. Quæ vero, collat.4. aut. Cui relictum, C. de indict. vid. per quas authenticas correctæ sunt aliquæ, ff. antiquiores leges, quæ eas conditiones in viduis etiam rejiciebant. Sic docent Guil. Bened. c. Raynut. de test. verb. Qui cum alia, nu. 100. & seqq. Cov. multos referens 4. decr. 2. p. c.3. §.9. n.11. Acosta l. Cum tale, §. Si arbitratu, lim. ult. n.2. ff. de condit. & demonstr. Ant. Gom. l.16. Tauri, n.8. & 1. var. c.12. nu. 78. Ant. Gabr. in mea edit. to.2. commun. l.10. verb. Legatum, f.19. Mantica de conject. ult. vol. lib.11. tit.19. n.2. Matienzo l.5. recop. t.1. l.3. gl.2. n.14. Gutier. l.2. q. can.25. n.3. Gratian. reg.83. n.14. P. Mol. t.1. de just. tr.2. disp.207. fol.1264. Et ratio est, quia honestum est a secundis nuptiis abstinere, c. finali, 31. q. 1.

30 Nomine autem virginis, cum in ea dicimus rejici conditionem nuptias prohibentem, intelligitur, quæ nulli nupsit, quamvis corrupta sit: ut docent Ant. Gom. alios referens, utroque loco, Matienzo, Gratian. n.3. Molin. n. præc. cit. Intelligitur etiam vidua, si matr. non consummavit: unde in sola vidua a viro cognita, ea conditio admittitur, sic Bald. auth. Cui relictum, ubi Ang. Paul. Jas. n.2. Dec. rub. C. de secund. nupt. n.4. Ant. Gom. & Ant. Gab. n. præc. allegati, Gratian. reg. 83. n. 1.

31 II. Conclusio, conditio prohibens nuptias, similiter est valida in homine viduo. Hæc est contra Paulum, l. ult. in princ. n.5. C. de indic. viduit. & Jasonem ibi n.28. sed probatur ex Auth. de nuptiis, §. Quæ vero, collat. 4. vers. Unde sancimus, ibi, sive uxor maritum, item quia vir, & uxor non debent ad imparia judicari, c. Gaudemus, de div. Sic Corneus d. l. finali, n. 1. Jason. auth. Cui relictum, C. de jud. vidui. nu. fin. Acost. l. Cum tale, §. Si arbitratu, limit. ult. n.1. ff. de condit. & demonst. Covar 4. decr.2. p. c.3. §.9. n.3. Pinellus, l. fin. n. 17. C. de bon. mater. Ant. Gom. Mat. Molina, f. 1265. Gratian. n.14. citati n. 29. Mantica de conject. ult. vol. l.11. t. 19. a n.12. usque ad 17.

32 Hinc infertur, valere conditionem viduæ impositam, si arbitratu alicujus nupserit. Quia si potest imponi conditio perpetuæ viduitatis, a fortiori, ut non nubat, nisi de alicujus consensu. Sic contra Cumanum docet multos referens Acosta, d. §. Si arbitratu, amp. ult. n.5. Mat. l.5. recop. t.1. l. 3. gl.2. nu. 17. Gratian. reg. 83. n. 14. Si autem ille juste arbitretur, tenetur femina ejus arbitrium sequi, si autem arbitrari nolit, & mulier nupserit, admittetur ad legatum, quasi impleta conditione: cum per eam non steterit: sic Acosta eadem ampl. ult. n.6. ubi addit si injuste arbitretur, posse mulierem ad judicem recurrere: & si ille vivo testatore obierit, deficere conditionem, & legatum: sed hoc ultimum tenendum non est, ut probavi nu. 27. quando vidua non fuit in mora petendi consensum.

33 III. Conclusio, valet conditio non contrahendi matrimonium imposita impotentibus ad generandum, ut eunuchis: quia si contrahant, licet invalide, amittent legatum, quia ea conditio ratione sobolis procreandæ rejicitur. In muliere tamen sterili non valet: quia sterilitas nec est perpetua, nec matrimonium impedit. Ita Acosta, d. §. Si arbitratu, limit. 1. n. 1. 4. & 5.

34 IV. Conclusio, valet conditio nuptias prohibens, favore piæ causæ, ut si legetur virgini, si non nupserit, vel si arbitrio Titii nupserit, quod si contra fecerit, transferatur legatum ad aliam piam causam, quia libertas & causa pia æquiparari solent, ut cum aliis probat Everardus loco a libertate, ad piam causam, sed favore libertatis valet, ut si legetur sic, Si Titia nupserit, talis servus liber sit, per l. Titio, §. Servi usufructus, ff. de condit. & demonst. & ita docent multi, quos referunt, & sequuntur Tiraq. de privil. piæ cau. privileg. 18. Guil. Benedict. c. Raynutius, de testam. verb. Qui cum alia num. 95. Mantica de conject. ult. vol. 11. t.18. n.8. & tit. 19. n.11. Everard. d. loco a libertate, ad piam causam, n.6. Ant. Gabr. to. 1. comm. l.10. verb. Legatum, fol. 19. Gratian. reg. 83. n.16. quamvis Acosta de hoc dubitet d. §. Si arbitratu, limit. 10. n. 8.

35 V. Conclusio, conditio nuptias impediens non perpetuo, sed ad tempus, vel respectu solum aliquarum personarum, valida est. Hæc constabit ex corollariis sequentibus.

Hinc infertur 1. valere legatum, si Titia non nubat intra certum tempus, l. Sed si hoc, §. fin. ff. de condit. & demonst. & docet multos referens Acosta d. §. Si arbitratu, limit.8. num. 1. Ant. Gabr. in mea edit. tom. 1. commun. l. 10. verb. Legatum, fol. 19. Mantica de conject. ult. vol. lib.11. t.19. nu. 6. Enriq. l.11. de matr. c.6. nu.6. unde valet conditio ut femina non nubat ante 25. annum: quia usque ad illud tempus non reputat jus esse magnam moram. Sic cum Jasone, Mantica eod. tit.19. n.8. Enriquez eodem n.6. Secus autem esset si in tam longum tempus matr. protraheretur, ut verisimile esset, virginem non inventuram tunc virum, cui nubat, sic Mantica eod. n.8. Gutier. q. can. lib.2. c.25. n.3. Si autem tempus nimium protraheretur, ita ut diu impediretur matrimonium, tunc judex arbitrabitur, quod tempus expectandum sit, reliquo rejecto, sic Guil. Benedict. & Aretin. quos refert, & sequitur Gratian. reg. 83. n.7. Quare scrupulose locutus est Acosta ea limitat. 8. nu. 3. ubi dixit non valere conditionem viduitatis temporalis, nisi ex aliqua causa justa inducatur: bene tamen concludit n. 9. hoc debere apud omnes constare, si in tempus incertum conditio viduitatis apponatur, ut donec Titius moriatur non valere, quia æquiparatur perpetuæ: & alios refert.

2. Infertur valere legatum sic relictum, Lego Titiæ, si nupta non erit. Quia non incidit viduitatem perpetuam, si intelligitur, si dum testator obierit, non fuerit nupta, & licet conditio viduitatis ad tempus incertum non valeat; at dicta conditio non invitat ad non nubendum, sed confertur in casu, quo testatore decedente nupta non sit: sic Acosta late probans, d. §. Si arbitratu, limitat. 7. per totam.

38 3. Infertur valere conditionem non contrahendi in certo oppido, quia extra illud contrahi potest. Sic Acosta d. §. Si arbitratu, ampl. 8. n. 1. Mantica de conject. ult. vol. l. 11. tit. 19. n.6. Meres de majorat. 1.p. q.51. n.1. quod bene intelligit Acosta, quando extra illud oppidum posset commode matrimonium iniri.

39 4. Infertur valere conditionem viduitatis respectu certarum personarum: ut, Lego Titiæ, si non nupserit Cajo, Titio, & Sempronio: habetur expresse l. Cum ita, & sequenti, ff. de condit. & demonst. & ibi redditur ratio, quia non prohibetur aliis nubere, quod intelligendum est cum Acosta, d. §. Si arbitratu, ampliat.8. n.1. & P. Molina to.1. de just. tr.2. disp. 207. fol. 1264. quando moraliter loquendo, & spectatis circumstantiis occurrentibus, liberum ei relinqueretur re ipsa nubere, secus quando ultra eas personas nequit commode nubere.

40 5. Infertur valere conditionem, ne matr. contrahatur cum ignobili, descendente a Judæis, vel Saracenis: quia relinquitur libertas cum aliis contrahendi. Sic Greg. Lop. l.3. t.21. p.2. verb. Cum villana, Mol. l.2. de primog. c. 13. nu. 28. Grat. reg.83. n.12. Pelaez de Meres de maj. 1. p. q.51. n.1. Azebedo l. 5. recop. tit.6. l.11. n. 20. & ex Theologis, Enriq. l.11. de matr. c.6. n.6. Manuel 1. t. summæ 2. edit. c.133. num.6. De diligentia autem, quam sic institutus debet adhibere ad scrutandum genus, consulendus est Molin. eo. c.11. a n.29. usque ad 35. Utrum autem satis sit nobilitas ex sola paterna linea, vel solo privilegio concessa, consule Greg. Lop. proxime citatum, & Pelaez de Meres tota ea. qu. 51.

41 Observandum est, hanc conditionem; si Titia Cajo non nupserit, hoc habere, ut post Caii mortem legatum relictum videatur: unde, nec si alii nupserit, legatum statim adipiscetur, nec cautio Mutiana locum habet. Quia hoc proprium est conditionis negativæ, ut perpetua sit, eo quod vis negationis est, ut totum, quod sequitur, neget: ut bene docent Alciatus, & alii, quos referunt, & sequuntur Covar. 1. var. c.13. n.7. Acosta: l. Cum tale, §. Si arbitratu, lim. 5. nu.2. ff. de cond. & demonst. Molina, l.3. de primog. c.10. n. 17. & 18. Grat. reg.231. n.4. Quare cum illa conditio, Si non nupserit, negativa sit, intelligitur de quibuscumque nuptiis in perpetuum. Sic Mantica de conject. ult. vol. lib. 11. t.19. n. 9.

42 Demum infertur, si jussus, ne cum Judæis, aut ignobilibus contrahat, in primo matrimonio non pareat, in secundo autem pareat: vel econtra, in primo pareat, in aliis autem minime, eum amittere legatum, quia ea conditio negativa, cum perpetua sit, omnes nuptias claudit, maxime cum in omnibus illis eadem sit ratio prohibitionis. Sic Pelaez de Meres de maj. 1.p. qu.51. n.36. quia late probat nu. 37. hoc procedere, licet matrimonium non consummarit, conjuge obeunte, vel religionem profitente. Si autem matrimonium illud cum ignobili, vel descendente a Judæis esset irritum, non immerito dubitari posset, an amittatur legatum: propter ea, quæ infra l. 3. disp. 2. afferam ad probandum pœnas latas in matrimonium clandestinum, validas esse, & incurri, quamvis illud irritum sit: quia tamen tanquam verius ibi docebimus minime incurri; dicendum est in hoc casu non amitti legatum, & ita docet Pelaez de Meres, d. q. q.51. num. 37.

DISPUTATIO XXXV.

Utrum possint arrhæ in contractu sponsalium apponi, amittendæ per frangentem sponsalium fidem?

SUMMARIUM.

Quotupliciter usurpentur arrhæ, & an opus sit explicari arrharum nomine dari, num. 1.
An valeant arrhæ, & cur, non autem pœna, 2.
An oporteat eas tradi, 3.
An valeat, si quis sic dicat, Do tibi centum nomine pœnæ amittenda si te non duxero, 4.
An probetur arrharum receptio propria confessione, 5.
Quæ difficultates disputandæ sint, 6.
An arrhæ possint constitui in qualibet quantitate, 1. opinio negans, n.7. & 2. distinguens, 8.
3. Verior, valere in qualibet quantitate, 9.
Quæ cautela pro matrimonii contrahendi securitate dari possit: & solvuntur argumenta, 10.
An arrhæ possint constitui in specie. 1. Sententia negans, n.11. Secunda verior, 12.
An arrhæ possint utrimque constitui. 1. Sententia negans, nu. 13. Secunda verior, 14.
Solvuntur argumenta, & explicatur l. Qui sic, ff. de solutio, n. 15.

1 CUm de pœna actum sit, superest, ut de arrhis disputemus, quæ tripliciter usurpantur. 1. Pro quadam donatione, quam vir facit uxori in dotis præmium. 2. Pro donatione propter nuptias. 3. Pro pignore, quod inter sponsos traditur in signum complendi matr. quod vulgo dar sennal appellamus, sicut in aliis contractibus dum inter partes convenit de ipsis perficiendis, solet aliquid in signum, & pignus tradi perficiendi contractum: & in hac 3. acceptione usurpatur in præsenti disp. nam de arrhis juxta duas priores acceptationes, tractatum integrum proponam hoc 1. vol. lib. 6. Exigitur autem dum traduntur arrhæ, ut expresse dicatur dari in signum futuri matrimonii: nam simpliciter traditæ, sponsalitia largitas sunt: ut bene animadvertit Ant. Gom. l. 50. Tauri num. 12.

2 In hac disp. convenit inter Doctores, licitum esse arrhas apponere amittendas per sponsalium fidei violatorem, habetur expresse l. Arrhis, & l. final. C. de sponsal. l.1. t.11. p.4. l.84. t.18. p.3. Rationes autem, cur pœna interdicatur, non autem arrhæ, variæ assignantur, sed frequentior ea est, quia cum pœna non statim tradatur, sed promittatur in futurum, facile, & incaute in magna quantitate promittitur: arrha autem cum re ipsa tradi debeat in contractu sponsalium, in minori quantitate, & maturiori consilio tradetur: nec tantus suberit timor amittendi arrhas jam traditas, quantus solvendi pœnam promissam: faciliores enim multo sunt homines ad promittendum, quam ad tradendum, unde in proverbium abiit; Facile est alienis promissis ditescere, & facilius est solutum amittere, quam denuo solvere: quare in amissione pœnæ gravior timor versatur, quam in arrharum perditione, qua ratione merito illa prohibetur, hæ autem permittuntur. Hæc autem ratio non caret scrupulo, quia ex ea colligitur pœnam modicam valere, non autem magnas arrhas: cum tamen pœnam modicam non valere, dixerimus disp. 20. n. 11. & magnas arrhas validas esse, dicemus hic n. 9. quare aliam rationem assignat Gui. de Suza, quem refert, & sequitur Bald. l. fin. n.8. C. de spons. Matth. de Perusio inter consilia matrimonialia Zileti, cons.6. n.10. & 19. Valas. t.1. cons.2. n.1. quia arrha datur in signum, & ad securitatem matrimonii; pœna vero non pro securitate matrimonii, sed ut ad illud astringantur contrahentes: quia ergo arrha respicit actum favorabilem matrimonii, si contrahatur, pœna vero actum odiosum, si non contrahatur, ideo arrha valet, non autem pœna. Sed hæc ratio non caret etiam scrupulo. Quare dico cum Jasone, l. Titia, in prin n.22. ff. de verb. oblig. utramque rationem, & alias, quæ afferuntur, minime concludere, nec scrupulo carere, sed congruentiam quamdam præseferre, quæ sufficiens fuit ad inducendum legislatorem, ut arrhis permissis, pœnam interdiceret.

3 Hinc infertur, arrhas, ut valeant, necessario tradendas esse, quia leges permittentes arrhas loquuntur de arrhis traditis, ut constat ex l. fin. C. de spons. quæ passim utitur verbo, acceperit arrhas, quod traditionem denotat, §. Item lapilli, inst. de rer. divis. Item quia ubi non traderentur, nil. distarent a pœna: hoc videtur esse contra gl. c. Accedens, de procur. verb. Libera ubi dicit valere arrhas hinc inde promissas, & contra Joan. Lupum rub. de donat. inter. vir. & uxor. §. 2. num.2. fine, ubi dicit arrharum promissionem, seu donationem valere. Sed nostrum corollarium est certissimum, & illud docent Ant. c. Gemma, de spons. n.8. ubi Cardin. n.2. Anchar. n.10. Abb. n. 8. Alex. de Nevo n.23. Præp. n.8. & 10. Bart. l. Titia, in princ. n.6. ff. de verb. obl. ubi Jas. nu.21. Ang. Paul. & Imola, ibi, Bald. l. fin. n. 7. C. de spons. Soc. cons.3. vol.1. Tiraq. de utroque retract. l.2. §.7. n. 55. Rosella verb. Spons. n.7. ubi Ang. n.13. Silv. verb. Sponsalia, q. 9. dict.1. & 3. Brunel de spons. concl.16. n.3. Cov.4 dec.2. p. c.3. §.7. n.7. & 9. Villal. in communib opin. lit. P. n. 89. Suar. l.3. tit. de las arrhas, l. 1. init. Greg. Lop. l.39. tit.11. p. 5. verb. La pena, Ant. Gom. l.50. Tauri n. 12. Ant. Gabr. in mea edit. t.1. comm. l.1. verb. Arrha, fol. 58. Matienzo l. 5. recop. tit. 2. rub. gl. 2. nu. 3. & ex Theologis, Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 36. prope finem.

4 2. Infertur, si quis sic dicat, Do tibi centum pro pœna, si matrimonium tecum non contraxero, & reipsa tradat illa 100. valere quidem, quia nomine tenus pœna est, re autem ipsa arrha, cum tradatur: alias esset imponere legem verbis, & non rebus, contra l.1. & 2. C. commun. de leg. & l.2. ff. de const. pecun. ad finem. Sic Imola l. Titia, in princ. n.6. ff. de verb. oblig. quamvis tandem id cogitandum relinquat: idque docet valde commendans Greg. Lop. l.39. fine, tit. 11. p. 5.

5 Gravis autem difficultas est inter Doctores, utrum receptio arrharum probetur sola confessione recipientis, quidam enim id negant, eo quod sit confessio inter personas suspectas, & rei prohibitæ, sic Imola d. l. Titia, in princ. n. 7. ubi Angel. nu. 1. Paul. n. 4. Alii vero, & probabilius affirmant, quia arrhæ cum re ipsa recipiuntur, prohibitæ non sunt: quare confessioni recipientis standum est, dum contrarium non probatur, sic Bart. d. l. Titia, in princ. n.7. ubi Aret. Cuman. n.8. Jason. n. 28. Alciat. n.13. Salic. l. fin. C. de sponsal. n.4. Abb. quem refert, & sequitur Covar. 4. decr. 2. p. c.3. §.7. nu. 10. Ant. Cucus lib. 5. instit. major. t. 12. n.206. Matienzo lib. 5. recop. tit. 2. rubr. gloss. 2. nu. 3. & ex Theologis Lud. Lop. 2. p. instruct. de matr. c. 36. ad finem.

6 His præmissis, triplex quæstio in hac disp. agitanda est. I. Utrum arrhæ possint constitui in quavis quantitate. II. Utrum possint in specie, ut in fundo, apponi. III. Utrum apposita utrinque valeant.

7 I. Quæstio est, utrum arrhæ possint constitui in quacunque quantitate? Triplex est sent. I. ait non valere arrhas, quando tantæ sunt, ut contrahentium qualitate attenta, verisimile sit fore, ut timore arrhas amittendi, matr. ineant. Prob. quia propter legis rationem a verbis ejus recedendum est, & inhærendum sententiæ, ut notatur l. Non dubium, C. de leg. & c. fin. de reg. jur. in 6. sed ideo prohibita pœna, permittuntur arrhæ quia illa magna, hæ autem modicæ esse solent: ergo ubi hæ magnæ sunt, non valent. Et confirm. quia ideo pœna excluditur, ne ma-

ne matrimonii libertati obste., ergo ubi arrhæ tantæ sunt, ut idem efficiant, similiter excludentur, & hæc sent. est valde probabilis, sic *Joan. And. c. Gemma, de sponsal. n.9.* ubi *Abb. n.8. Henric. nu.9. fine, Alex. de Nevo nu. 15. & ibi Petr. Raven. Cynus l. Titia, in princ. ff. de verb. obl. Rosella verb. Sponsalia n.7.* ubi *Ang. n.12. Silv. qu. 9. dicto 2. Brunel. de spons. concl. 16. n.4.* Unde *Joan. And. & Cynus*, cum teneant modicam pœnam valere, ut retulimus disp. 30. num. 11, nihil discriminis inter pœnam, & arrham constituunt, sed utramque valere in modica, neutram autem in magna quantitate, dicunt, & ad textus permissis arrhis excludentes pœnam, respondent, ad ea, quæ frequentius accidunt, respexisse: solet enim magnam pœnam promitti, & modicam tradi arrham.

8 II. Sent. docet valere arrhas in quavis quantitate, dummodo dotis, vel donationis propter nuptias quantitatem minime excedant, & dum hæ non interveniunt, quantitatem præscriptam, *l. Jubemus ff. de repub.* scilicet tertiam bonorum partem. Et ratio est, quia hanc pœnam subit dissolvens matr. contractum, & par non est dirimentem sponsalia majori plecti pœna, sed pari passu procedere debent, *l. Neque, C. de nuptiis.* Sic docent *Barth. l. Titia, in princ. n.6. ff. de verb. obl.* ubi *Alciat. n.13.* dicit hanc esse æquam, licet contraria receptior sit: *Sal. fin. n.15. C. de spons. Ant. d. c. Gemma n.8.* ubi *Præp. n.9. Suarez lib.3. fori. tit. De las arrhas, l.1. initio, Brun. de spons. concl. 16. n.2. Ant. Cucus lib.5. instit. major. tit.12. nu. 200. & sequenti.*

9 III. Sent probabilior docet, valide apponi arrhas in quacumque quantitate. 1. quia leges permittentes arrhas, generice, & indistincte loquuntur. 2. quia respiciunt ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. Nam ad ea, ff. de legibus*, & cum frequentius accidat modicas tradi arrhas, eas absolute admisere: nec quia in quodam speciali casu magnas tradi contingat, nova lex eas irritans, constituenda est: lex enim cessante ratione in particulari, minime cessat. Tandem quia adhuc non militat eadem ratio in magnis arrhis, quæ in pœna, cum enim illæ traditæ sint facilius, & suavius amittuntur, quam nondum tradita pœna solvatur. Sic tenent *Hostiens. summa, t. de spons. §.1. n.2. Card. d. c. Gemma, n.2. Bal. l. finali, n.8. C. de spons. Ang. l. Titia, in princ. n.2. ff. de verb. obl.* ubi *Paul. n.4. Cuman. num.6. & 7. Imol. n.7 Jason. n.21. Tab. verb. Spons. q.8. num.9. initio, Covar.4. decret.2. p.c.3. §.7. n.9. Greg. Lop. l.39. verb. La pena, tit.11. p.5. Franc. Mans. inter consilia matr. Zileti, to.1. cons.7. n.20. Matth. de Perusio inter ead. consilia, cons.6. nu.18. Ant. Gabr. in mea edit. tom.1. comm. l.1. verb. Arrha, f.58. Matienzo l.5. recop. t.2. rubri. gloss.2. nu.4.* Et ex Theologis *Lud. Lop.2.p. instr. de matr. c. 36. ad finem.*

10 Hinc infertur cautelam esse justam pro matrimonii securitate, magnas arrhas tradere, & stipulari in quadruplum, & si contrahentes sint minores, facere, ut parentes tradant: id enim fieri posse dicemus disp. sequenti. Sic *Hostien. & Tabiena n. præcedenti allegati.*

Ad argum. 1. sent. proposita n.7. constat ex dictis, cessat enim ratio in casu speciali tantum, & adhuc in illo non omnino cessat, ut ostendimus n. præc. non obstat argum. 2. sent. quia ea est pena lege præscripta dissolvendi matr. arrhæ vero rationem pœnæ non habent, cum tradantur.

11 II. Quæstio est, utrum arrhæ possint constitui in specie, ut in quodam fundo, vel necessario in quantitate numerata assignandæ sint? Quidam negant posse in specie constitui: & ducuntur 1. quia *l. fin. C. de sponsalibus*, permittens arrhas, de ipsis in quantitate numerata constitutis loquitur, ceterasque annullat pœnas. 2. quia exigitur, ut arrhæ corporaliter tradantur, dicit enim lex, *accipiat*, & ut duplicari possint, cum alius in duplum teneatur, quæ arrhis in specie constitutis competere minime possunt, *l. Lucius §. Impuberum, ff. de leg.2.* ita docent *Bart. d. l. Titia, in prin. n.10. Ant d. c. Gemm. n.8.* ubi *Anch. n.10. Abb. n.8. Alex. de Nevo n.26. Rosella verb. Spons. nu.7. Brun. de spons. concl.16. n.3. Suar. l.3. fori, tit. De las arrhas, l.1. init.*

12 Ceterum verius est posse in specie constitui. 1. quia leges permittentes arrhas, indistincte loquuntur, expresse *l.84. t.18. p.3.* approbat arrhas in specie constitutas. 2. quia bene potest tradi possessio fundi pro arrhis dati, sicut traditur dum venditur: potest etiam tradi ficte possessio, si per clausulam constituit tradens, constituat se alterius nomine possidere. Potest etiam duplicari, si non secuto matr. reddatur fundus, & ejus æstimatio. Quare hanc sent. tenet *Specul. t. de spons. §. Primo igitur, n.1. Bald. l. fin. n.8. C. de spons. & ibi Salic. n.2. Cum d. l. Titia, in princ. n.10.* ubi *Paul. n.4. Aret. n.9. Jason. n.35. Alciat. n. 17. Imola n.7. Præpos. d. c. Gemma, n.11. Angel. verb. Sponsalia, n.13.* ubi *Silv. q.9. dicto 3. Cov.4. decr.2. p.c.3. §.7. n.7. Ant. Gabr. in mea edit. t.1. comm. l.1. verb. Arrha f.58. Greg. Lop. l.84. v. Tal. vinna, t.18. p.3. Ant. Cucus lib.5. inst. major. tit.12. n.203. & 207. Matienzo l.5. recop. tit.2. rub. gl.2. n.2. Azebedo eod. lib.5. tit.2. l.2. n.6.* Et ex Theologis, *Lud. Lop. 2. par. instruct. de matr. c.36. ad fin.* Nec obstant argumenta contraria: quia eorum solutio constat ex dictis.

13 III. Quæstio est, utrum arrhæ possint utrinque constitui, altero tradente certam arrharum quantitatem, & altero reddente similiter arrhas. Quidam negant, eo quod revera nihil videatur dari, *l. Qui sic, 55. ff. de solut.* ubi, *non alienantur nummi, qui sic dantur, ut recipiantur.* Sic *Bart. l. Titia, in princ. n.9. ff. de verb. oblig. Ant. c. Gemma, de sponsalibus, n.8.* ubi *Abb. n.8. Alex. de Nevo n.25. Præpos.* dicens communem, *n.10. Rosella verb. Spons. n.7.* ubi *Angel. n.13. Silvest. q.9. d.3. Villalobos in communibus lit. P. n.88. Brunel. de sponsalibus, concl.16. nu.3. Matienz. l.5. recop. t.2. rubr. gloss. 2. n. 3.* & est communis, & valde probabilis sententia.

Verum probabilius est valere, quia leges absolute permit- 14
tunt arrhas, nec in vanum est hæc mutua traditio, quia dans arrhas perdit, quas dedit, & restituit, quas accepit, si per ipsum stet, quominus celebretur matr. & ita cessat argumentum contrariæ sent. desumptum ex *d. l. Qui sic*, nam ea lex procedit, quando dans aliquid, tantumdem recipit pure, ita ut nullo casu teneatur reddere, at qui recipit arrhas, & tradit, tenetur tantumdem arrharum reddere, & suas amittit, si culpabiliter resiliat. Vel 2. procedit ea lex, quando datur aliquid adjecto pacto, ut incontinenti reddatur, at in nostro casu pure dantur arrhæ, & pure recipiuntur: quare sunt duo actus separati, non unus cum altero conjunctus. Ita docent *Cynus l. fin. q.6. C. de spons.* ubi *Bald. nu.7. Sal. nu. 9. Palud. d. l. Titia, in princ. n.4.* ubi *Jas. n.31. Aret. n.8. Cuman. n.8. Alciat. nu. 15. spec. t. de spons. §. Primo igitur, n.1. Covar.4. decr.2. p.c.3. §.7. n.7. & 8. Greg. Lop. l.84. t.18 p.3. verb. Tal vinna*, & hoc approbat expresse illa lex *Matth. de Perusio inter consilia matrimonialia Zileti t.1. cons.6. n.24. Ant. Cucus l.5. instit. major. t.12. nu.203. Ant. Gabr. t.1. comm. in mea edit. l.1. verb. Arrha f.58. Azebedo l.5. recop. t.2. l.2. n.6.* & multi consulentes, ut testatur *Abb. d. c. Gemma, n.8.* & ex Theologis *Lud. Lop.2. p. instr. de instr. de matr. c.36. ad fin.* Hanc sent. moderatur *Cuman. d. n.8.* si arrhæ utrinque traditæ diversæ naturæ sint, quia unus quantitatem, alius vero speciem dedit: & *Alciat. d. n.15.* temperat: nisi æqualis summa arrharum utrinque tradita sit, sed neutra limitatio placet, & ideo cum ceteris Doctoribus dicendum est, indistincte valere, & expresse *Greg Lop. d. l.84. verb. Tal. vina*, docet valere arrhas, licet in eadem quantitate utrinque tradantur.

Ad argumentum constat ex dictis nu.14. ubi explicata est 15
l. Qui sic ff. de solutio.

DISPUTATIO XXXVI.

Ad quem pertineant arrhæ, sive matrimonium sequatur, sive non?

SUMMARIUM.

Opinio asserens lucrari recipientem arrhas matrimonio secuto, num. 1.
Amittit frangens fidem, & redeunt ad dantem matrimonio secuto, n.2. & ibi, quod si habeat justam resiliendi causam, ipse tamen injuste resistit, quia eam ignorat.
Nihil harum arrharum lucratur sponsa per osculum, 3.
Qui absque culpa a sponsalibus resilit, ut si inveniatur impedimentum inter contrahentes, vel alia causa justa occurrat, non amittit arrhas, n.4. & ibi pœna non habet locum, ubi deficit culpa.
Quid si tradens arrhas, novit impedimentum, ne sequatur matrimonium, 5.
Quid si tradens arrhas obiit, vel aliter est impeditus, 6.
Quid quando alter tantum arrhas dedit, & is, qui nullas dedit, resilit injuste a sponsalibus, 7.
Quid si recipiens arrhas sit minor. n.8. ubi quid si dentur tutori, vel curatori, vel alteri nomine minoris, vel parentibus.
Quid quando uterque arrhas dedit, & recepit, 9.
An jure canonico correctum sit teneri eum, qui non tradidit arrhas, ad duplum, vel quadruplum, ponitur prima opinio affirmans, 10.
Ponitur opinio verior, 11.
An si pater tradat promittens filii matrimonium, faciens quod in se est, amittat arrhas, ponitur, 1. opinio affirmans, 12.
2. Verior negans, 13. & explicatur l. 84. tit. 18. p. 3.

Quidam asserunt recipientes arrhas, sibi comparare sub- 1
secuto matrimonio, & prorsus ignoro, quo fundamento ducantur. Sic *Hostiens. c. Gemma, de sponsal. ad fin. & ibi Henricus nu 9.*

I. Concl. sit, ea est harum arrharum natura, ut eas amit- 2
tat tradens, si culpa sua matr. minime sequatur, eo autem secuto, redeunt ad tradentem constat ex *l. fin. C. de sponsalib.* & ratio est, quia sunt velut pignora, & signa in venditionis contractu tradita, hæc autem amittit injuste resiliens, & venditione celebrata recuperat, qui eas tradidit: sic tenent *Host.* sibi contrarius, *sum. tit. de spons. §.1. n.3. Abb. d. c. Gemma, n.7.* ubi *Alex. de Nevo n.27. Præpos. n.8. Ang. verb. spons. num. 17.* ubi *Silv. q.9. dict.4. Covar.4. decr. 2. p. c.3. §.7. n.11. Matienzo lib. 5. recop. tit.2. rubr. gl.2. n.5. Ant. Gabr. in mea edit. t.1. comm. l.1. verb. Arrha, fol.58.* Et ex Theologis *Lud. Lop.2. p. instruct. de matrim. c.36. ad fin.* An vero perdat arrhas, qui coram Deo habet justam resiliendi causam, quia sponsa fornicata est, ipse tamen injuste resilit, quia eam ignorat, dicam disp.68. nu. 10.

II. Conclusio, nihil harum arrharum lucratur sponsa per 3
osculum: id enim nullo jure definitum est, sic *gl. l. Arrhis, verb Defuncta, C. de sponsal. Ant. Gom. l.50. Tauri, n.12.*

III. Conclus. qui citra culpam a sponsalibus resilit, non amittit arrhas, quas tradidit, sed ipsi restituendæ sunt, verbi gratia, quoties justa causa est recedendi a sponsalibus, vel alteruter religionem ingreditur, aut reperitur canonicum impedimentum inter illos; habetur *l. Arrhis, & l. fin. C. de sponsal.* Et ratio est, quia ubi culpa abest, debet abesse pena, *l. Sancimus, C. de pœnis*, & hanc conclusionem tenent universi Doctores.

5 Hæc tamen concl. intelligenda est, si tradens arrhas, bona fide contraxit sponsalia, ignorans impedimentum: si enim conscius fuit, non potest arrhas traditas repetere, sic *gl. l. fin. verb. Redde, C. de sponsal. Ant. d. c. Gemma n.8.* ubi *Alex. de Nevo, n.22.* Unde si sibi reddantur, quia alter sponsus recipiens ignorabat tradentem mala fide contraxisse, tenebitur restituere, quia ex natura contractus eas amiserat, per ipsum enim culpabiliter stetit, cum impedimenti conscius matr. promiserit, arrhis in signum traditis.

6 Intellige secundo conclusionem, nisi tradens arrhas, in mora fuerit ante obitum suum, vel recipientis, contrahendi matrimonium: ut habetur, *l. Arrhis C. de spons. & ibi gl.* docet, *verb. Præbuit*, & ita *Silv. verb. Spons. q. 9. dicto 4.* ait impeditum ad contrahendum matrimonium, recuperare arrhas, nisi impedimento causam dederit.

7 IV. Conclus. quando alter contrahens solus tradidit arrhas, & culpa non tradentis, matr. minime sequitur; tenetur hic restituere duplum, idest ipsas arrhas receptas, & tantundem de suo patrimonio, & si conventum sit, ut restituat triplum, vel quadruplum, tenetur ad hoc, sic habetur expresse *l. fin. C. de spons.* (utrum vero hoc locum habeat in foro conscientiæ, ante judicis sent. dicam disp. seq. per totam) & ratio est, quia si solum quod accepit teneatur reddere, nullam pateretur pœnam, nec servaretur æqualitas. In hoc autem triplo, vel quadruplo, ut bene ait *Alex. de Nevo, d. c. Gemm. n.21.* computandæ sunt arrhæ receptæ, sicut computantur in duplo restituendo, quare veluti dum tenetur duplum reddere, tenetur arrhas, & tantumdem earum, ita, si triplum, bis tantumdem, & si quadruplum, ter tantumdem.

8 Excipe tamen nisi contrahens sponsalia sit minor viginti quinque annis, nec ætatis veniam impetrarit, tunc enim sive dentur arrhæ minori, sive tutori, vel curatori, vel alteri, nomine minoris recipienti, quamvis per ipsum minorem stet, non tenetur amplius, quam id, quod recepit, restituere, sic habetur expresse *l. fin. C. de spons.* Unde *Innoc. d. c. Gemma, n. un. & ibi Jo. And. n.8. Ant. n.8. Henr. n.5. Alex. de Nevo, n.22. Hostiens. sum. t. de spons. §.1. n.3. fine*, consulunt, ut arrhæ parentibus tradantur, quia parentes si arrhas receperint, tenentur in duplum, ut expresse habetur *ea l. fin.* ubi idem dicitur de avis, & ibi *gl. verb. Convenit*, idem dicit de tutore, vel curatore: quod bene *Salic. ibi n.5.* cum Cyno intelligit, quando pater, vel mater, vel tutor recipit arrhas nomine proprio, promittendo matrimonium: secus si nomine filii, vel minoris.

9 V. Conclus. quando uterque arrhas dedit, & recepit, injuste resiliens suas perdet, & quas accepit restituet: sic enim ad dupli pœnam, *l. finali, C. de sponsal.* præscriptam, pervenitur. Sic *Cynus ea l. fin. & ibi Salic. nu.9.* qui bene hoc intelligit, quando utraque arrharum quantitas æqualis est, nam si quam tradidit injuste resiliens, esset minor, tenetur supplere usque ad æqualitatem quantitatis arrharum alterius: cum alias non esset pœna dupli.

10 Non modica tamen est difficultas, utrum hactenus dicta ex *l. fin. C. de spons.* ut non tradens arrhas teneatur ad duplum, & etiam ad quadruplum, si ita conventum est, quando injuste resilit, habeant locum attento jure canonico, *c. Gemma, de sponsal.* nam *Greg. Lop. l.84. t.18. p.3. verb. Et todas*, dicit aliquos sentire non habere locum, foro canonico attento, sed tantum teneri arrhas receptas restituere: & ipse quamvis dubius cogitandum relinquat, in hoc magis inclinat. Quia solutio illa dupli, vel quadrupli, est mera pœna, a qua matrimonia omnino eximuntur, per *d. c. Gemma*. Item quia militat eadem ratio prohibitionis, nam ea pœna quadrupli facile promittetur, cum minime reipsa tempore sponsalium tradatur: & ob hoc dicit *Greg. Lop.* forte *l.1. t.11. p.4.* nullam dupli, vel quadrupli mentione fieri, sed tantum ut nolens stare matrimonio, restituat arrhas receptas.

11 Sed verius est, has leges non esse jure canonico correctas. 1. quia jus canonicum ideo prohibet pœnam, ut matrimonia libera sint: sed *l. fin. C. de sponsal. fine*, ubi arrhas & duplum, vel quadruplum concesserat, negat aliam penam, subdens, *quia matrimonia debent esse libera*, ergo sentit non esse hoc contra matrimonii libertatem, quam jus canonicum postulat. Item, quia adhuc non militat eadem ratio, quæ in pœna, nam in pœna nihil traditur, sed totum promittitur: at in nostro casu arrhæ necessario debent ab altera parte tradi, quare non erunt regulariter magnæ, & consequenter, nec solutio dupli, vel quadrupli, ad quam potest alter contrahens se astringere: & ita cessant argumenta contrariæ sententiæ, & ita tenet communis sent. ut fatetur ibi *Greg. Lop.* & tenet expresse *Palud. 4. d.27. q.1. a.2. conc.3. n.13.* Pro hac etiam parte sunt DD. juris canonici peritissimi, qui asserunt teneri non tradentem arrhas, solvere hoc duplum, vel quadruplum: quod si juri canonico adversaretur, non dicerent, hi sunt *Host. sum. t. de sponsal. §.1. n.2. & d. c. Gemma ad fin.* ubi *& Inn. n. un. Jo. Andr. n.7. Ant. n.8. Anch. n.5. Alex. de Nevo, n.21. Præpos. n.9. Card. q.3. n.3. Rosel. verb. Arrha. fine, Ang. verb. Spons. n.17.* ubi *Silv. q.9. d.4. D. Ant.3. p. t.1. c.18. ante §.1. Ant. Gom. l.50. Tauri n.12.* Tandem, quia disp. præc. nu. 10. diximus cum Hostiensi, & aliis, esse cautelam pro matrimonii securitate promittere magnas arrhas, & stipulari quadruplum, quæ si contraria esset juri canonico, nihil valeret.

12 Tandem dubitabis, an pater tradens arrhas, & promittens filiæ matrimonium, illas amittat, si faciat quicquid in se est, ut filia adimpleat, & ipsa nolit? *Greg. Lop. l.84. verb. Eguisaria t.18. p.3.* tenet perdere, forte tamen non duplum, vel quadruplum, hoc enim est pœna, & probat per illam legem ibi, *a tal pleito que si fusiano le quisiese tomar pro marido, o el non la quisiese dar, que el senorio y la possession, è la tenencia de aquella vinna, o de aquella heredad, sea, e finque en Ivam Garcia.* Item probat ex doctrina *Jasonis, & Aretini*, quos ipse refert, dicentium promittentem factum alienum, non eximi a pœna, licet faciat, quod in se est. Tandem, quia alias posset facile colludi inter patrem, & filiam, ut simularet pater se facere quicquid potest, & occulte consuleret filiæ, ut renueret.

Sed verius est non amittere arrhas, sed ipsi restituendas 13
esse, quia hæ succedunt loco penæ, & sunt velut pena nisi matr. contrahatur, pater autem faciens, quod in se est, penam evitat, ut dixi dub. 25. n. 3. sic tenet *Socin. senior. cons. 3. vol.1. n.9.* Nec obstat *d. l. 84.* quia vel loquitur, quando sic inter partes expresse conventum est, vel quando pater non facit, quod in se est, juxta tradita de pena d. disp. 15. n.3. & seqq. Non obstat etiam doctrina Jasonis, quia est contra communem: ut dixi d. disp. 25. n. 3. Tandem non obstat ultima objectio, quia similiter in penæ promissione locum habere posset ea collusio.

DISPUTATIO XXXVII.

Utrum in foro conscientiæ ante ullam judicis sententiam teneatur, qui fidem sponsalium culpa sua violat, arrhas receptas, & penam dupli legalem, ac quadrupli conventionalem restituere?

SUMMARIUM.

Pœna legalis dupli non debetur ante sententiam, sed sola arrha, num. 1.
Pœnam conventionalem quadrupli. 1. sententia, deberi, 2.
2. Non deberi antequam petatur, at nullam exigi sententiam, 3.
3. Verior, non deberi ante sententiam, & usu receptum esse non solvi integram, sed quatenus interest, n.4. & ibi, actus præsumitur factus secundum propriam ejus naturam.
Potest præscribi ea pœna, 5.
Solvuntur argumenta, 6.

De duplici pœna est quæstio proposita: altera est pena 1
legalis imposita, *l. fin. C. de spons.* ut recipiens arrhas, si injuste a sponsalibus resiliat, teneatur & ipsas, & duplum reddere: altera vero est conventionalis, quando inter contrahentes conventum est, ut resiliens teneatur quadruplum arrharum solvere. Et quidem pœnam dupli minime deberi ante judicis sententiam, apertum est: est enim pena lege imposita, quæ juxta omnes sententiam judicis desiderat: sed solum tenetur hic arrhas receptas restituere: id enim pena non est, sed conditio naturæ contractus annexa, & ita docent *Palud. 4. d.27. q.1. a.2. concl.3. n.13. Silv. verb Arrha q.4.* ubi *Armilla n.4. Lud. Lop. 2. p. instr. de matr. c.36. f.1032. Vega l.2. sum. casu 284.* De pena autem conventionali quadrupli non levis est difficultas, pendetque ex ea, utrum pena conventionalis debita sit in foro conscientiæ, quando non imponitur pro interesse lucri cessantis, aut damni emergentis (hoc enim interesse constat deberi ab injuste resiliente a contractu.)

Triplex est sent. I. ait penam conventionalem debitam esse 2
in foro conscientiæ. Prob. quia perinde est, ac si condemnatio intervenisset, cum pacto se obligarint contrahentes ad solvendam penam illam, & nihil tam naturale sit, ac pacta servari, *l.1. ff. de pactis, & c.1. ff. probatio.* Et confirm. quia conditio quædam contractus est, ut resiliens eam penam solvat, ergo non est necessaria judicis sententia: conditiones enim contractus statim obligant, ea non expectata. Sic tenent *Anchar.* licet aliquantulum dubius, *reg. Possessor. de reg. jur. in 6. n.2. vers. Tertio quæro, Fel. c.1. de constit. n.46. vers. Limitatur tertio, & ibi Deci. in 1. lectura, n.73. Menchaca l.1. contr. usu frequen. c.7. n.21.* Et ex Theologis *Palud.4. d.27. q.1. art.2. n.13.* qua ratione dicit ibi hanc pœnam quadrupli statim solvendam esse in foro conscientiæ: & videtur tenere *Navar. l.3. de restit. c.2. in 2. edit. dub.10. n.274.* ubi ait, penam hanc in conscientia deberi post moram, ante ullam sententiam, & declarationem.

II. Sent. ait non teneri resilientem solvere penam conven- 3
tionalem, donec alius contrahens eam petat, illo tamen petente, statim teneri, nulla judicis sententia expectata. Prob. quia sicut judici exequenti legis penam non licet resistere; ita petenti penam ex conventione debitam: petitio enim illa in pena conventionali, vices habet sententiæ judicis in pena legali. quare sicut in hac desideratur sententia judicis; ita in illa creditoris petitio. Sic *Corneus cons.69. fine vol.2. & cons.55. n.22 vol.3. Rebuff. in rep. l. un. C. de sent. quæ pro eo, quod interest. gl. v. Proferantur, n.40.41. Cov.4. decr. 1. p. c.6. §.8. n.11. Menoch.* sibi contrarius, *de success. prog. l.1. in præf. n 98. Menoc. de arb. l.2. cent.3. cas. 260. n.40. Padilla, l. si quis major, n.59. C. de trans. Gutier. de jura. 1. p. c.36. n.11. fine, Mexia taxa panis, concl.6. n.100. & seq. Azebedo, lib.2. recop. t.1. in rubr. n.28. & seq.* & ex Theologis, *P. Molina tom.1. de just. tract.2. disp.97. fine, Capua l.2. decision. c.11. n.32.*

III. Sent. ait non deberi penam conventionalem ante judicis 4
sententiam. Et hanc existimo probabiliorem, quamvis aliæ

duæ sint

duæ sint satis probabiles. Prob. quia intentio contrahentium, & eas pœnas constituentium, quando aliud expressis verbis minime declarant in contractu, ea est, ut per tales pœnas compelli possint ad fidem servandam, & teneantur ad eas secuta condemnatione: eorum enim intentio in dubio juxta juris communis pœnam imponentis præscriptum intelligenda est: nam actus præsumitur factus secundum propriam ejus naturam, ut late *Menoc. de præsum l.6.tota præsum.* 10. Item, quia sæpe expedit, penas hujusmodi, eo quod rigidæ sint, moderari, ut fatetur *Menoc. d. casu 26. n.33. & seqq.* Imo *Matthæus de Afflictis*, quem referunt, & sequuntur *Avend. in suo dictionar. verb. Pœna conventionalis, & Gutier. de jur. 1.p. c.36. n.10.* ait stylo curiæ non ferri pœnæ conventionalis condemnationem, nisi quatenus interest: unde ait *Gutier.* probata ea consuetudine, si nullum interesse secutum fuerit, minime deberi pœnam, ergo necessaria est interventio sententiæ judicis, ut discussis moderatione pœnæ, ac solvendi consuetudine, decernat, quid solvendum sit. Tandem, quia non video, qua ratione probetur petitionem illam creditoris vices habere sententiæ judicis. Et ideo hanc sent. tenent ex Theologis, *Adr. quod l.6.a.1.corol 3. in parvis vol.f.112.Ledes.2.p.4.q.18.a.3.f.267. col.2. Victoria*, quem refert & sequitur *Lud.Lop.l 1. de contr.c.31.f.101.& l.2.c.34.f 463. Pal.l.4. de contr.c.5. col. 275. & seq.* qamvis limitet, dum pœna utrumque contrahentem ligat, si a contractu resilierit, secus si alteri tantum imposita sit, ut si non solveris die præfixa, tenearis tali pena, tunc enim dicit, statim deberi in foro conscientiæ: sed hæc limitatio recipienda non est. Eamdem sent. tenet *Beja summa, casu. 41.* & ex jurisperitis *Nav. sum. casu 23. Hispan. nu. 98. Latine, n.67. & seq. Gut.q.can.l.2.c.20. n.13.* & multi Neoterici doctissimi, quare in nostro casu dicendum est, pœnam illam quadrupli conventionalem, non deberi ante judicis sententiam.

5 Ex his infertur, debitorem pœnæ conventionalis, posse eam præscribere, itaut cesset actio illa ad pœnam, si spatio 30. annorum minime petatur, *l. Omnes, C. de præscript. trigint.ann.* quia possidens, bonam fidem habet, cum eam offerre minime teneatur, juxta 2. & 3. sententiam. Sic *Purpuratus*, quem refert, & sequitur *Rebuffus repet. l. unicæ, C. de senten. quæ pro eo. glossa v. Proferantur, num. 24.*

6 Ad arg. 1. sent. negatur perinde esse, ac si intervenisset condemnatio, quia pactum solvendi eam pœnam intelligitur secuta condemnatione: ut probavimus. Ad confirmationem, fateor esse conditionem contractus, ut solvatur pœna, verum ea conditio non est instar ceterarum: ceteræ enim ex natura sua nullam petunt condemnationem, aut actum judicialem, quod secus est de pœna. Ad argumentum secundæ negandum est, eam creditoris petitionem vices obtinere sententiæ judicis.

DISPUTATIO XXXVIII.

Utrum in contractu sponsalium possint intervenire fidejussores, & pignora?

SUMMARIUM.

Possunt intervenire fidejussores, & tenentur ad interesse, non tamen ad pœnam, num. 1.

1. Sententia, non posse intervenire pignora, nu. 2. & secunda, posse, 3.

2. Verior distingui, n. 4. & an valeant arrhæ, quando nulla stipulatio pœnæ præcessit, & dicitur eas tradi pro pœna. Et in dubio interpretatio actus sumenda est, ut valeat.

1 Circa fidejussores pro securitate matrimonii contrahendi, certum est eos intervenire posse: cum nullo jure id prohibeatur. Sic *Host. sum. t. de spons. §. 1. n.2. fine, Alex. de Nevo c. Gemma, n.31. de spons. Alber. l.fin. n.7. C. de sponsal.* Non tamen tenebuntur ad pœnam, sicut nec ipsi contrahentes, quia non potest in plus fidejussor obligari, quam principalis: *inst. de fidejussor. §.1.* Sic *Hostiens. & Alexan. de Nevo ibidem*: tenentur tamen ad interesse, ut bene *Alexand. de Nevo ibi*: nam contrahentes ipsos ad hoc teneri diximus disp. 30. n. 15.

2 Circa pignora autem triplicem invenio sententiam. I. docet intervenire non posse, nisi pro interesse præstando, & eo soluto restituenda esse, quia *l. finali, C. de sponsalibus*, rejicitur omnis pœna, demptis arrhis, sic *Anton. c. Gemma, de spons. n.9. & ibi Abb. n.10.* & videtur eam sequi *Præposit. n.14.* & tenent *Rosella, verb. Sponsalia, n.7.* ubi *Angel. n.15. Silvest. q.8. dict.3. Brunellus de spons. concl.16. num.7.*

3 II. Sent. admittit pignora realiter tradita, quia vocantur arrhæ, *l.1. C. Si rector, juncta gl. verb. Pignora.* Item quia traduntur loco arrharum. Sic *Specul.t. de spons. §. Primo igitur, n.4. Arch.30. q.2.c.1. Azo summ.tit. de spons. n.12. Host. sum.t. de spons. §.1. & d.c. Gemma, super verb. Propter pœnæ interpositionem, & ibi Inn. n. un. Jo: And. n.7. Card. n.3. q. 1. Alex. de Nevo n.30.* referens *Jacobum de Aretio: Feder. cons. 146. Imola l.Titia, in princ. n.5. ff. de v. obl.* ubi *Jas. n.15.* addit *Imola*, sive dicatur pignora tradi pro arrhis sive pro matrimonii observatione: & *Alex. de Nevo* dixit valere pignora, licet pro arrharum securitate, quæ nondum traditæ sunt, dentur, si ea in quantitate consistant, ut si promittantur mille aurei nomine arrharum, nec tradantur, sed in pignus dentur mille tritici modii: quia succedunt loco arrharum, & ejus naturam sapiunt. Insuper *Joan. And. & Alex. de Nevo* limitant, nisi pignora magna sint, attenta contrahentium dignitate, sicut eadem moderatione admittunt arrhas: ut diximus disp. 35. n. 7.

III. Sent. verior est, si præcedat stipulatio pœnæ, & tradantur pignora, minime valere, secus arrharum stipulatione præcedenti, & ratio est, quia cum principale non valet, corruit accessorium, quod ejus naturam sequitur: *reg. Accessorium, 42. de reg. jur. in 6. reg. Cum principalis. 138. ff. de reg. jur.* ergo cum pœna valeat, arrhæ autem admittantur, pignora accessoria arrhis valida erunt, exclusis iis, dum pœnæ accedunt. Sic *gloss. l. Titia, verb. Matrimonia ff. de verb. oblig. & ibi Bart. in prin. n.2. Alberic. l. fin. n.3. C. de desponsf.* ubi *Salic. n.14. Anch. d.c. Gemma, n.* 10. ubi *Henric. n.8. Alex. Carrer. l.1. de spons. c.5.* In dubio autem, quando traduntur pignora, nulla præcedente pœnæ stipulatione valent, licet nulla mentio arrharum fiat, censetur enim ea pro arrhis tradi: ut docent *Henr. & Salic. ibi.* nam in dubio ea interpretatio sumenda est, ut actum faciat valere; nemo enim præsumitur eligere viam, ut sua dispositio subvertatur, *l. 3. ff. de milit. testam.* Quando autem nulla præcessit promissio pœnæ, & traditum est pignus, licet dicatur tradi pœna, valebit: sicut disp.35. n.4. diximus valere arrhas traditas: licet nomine pœnæ tradi dicantur: quia nomine tenus pena sunt. Sic *Imola* quamvis dubius, *d.l. Titia, in princ. n. 6. fine.* Nec admittenda est limitatio *Bart. & Anchar.* dicentium valere pignora, dum traduntur in quantitate, secus si in specie: nam similem arrharum limitationem reprobavimus disp. 35. n. 12.

DISPUTATIO XXXIX.

Utrum in matrimonio spirituali, ut ingressus religionis, possit promitti pœna vel tradi arrha?

SUMMARIUM.

Prima opinio, non licere, & esse simoniam spe lucri ad spiritualia invitare, num. 1.

Licet absque pacto, & conditione munera dare, ad invitandum ad religionem, & Baptismum, & reliqua spiritualia, n.2. nec recipiens tenetur, quamvis ea non faciat, restituere.

Licet etiam munera dare ad redimendum impedimenta, 3.

Verius est licere dare munera sub pacto, & conditione suscipiendi Baptismum, & ingrediendi religionem, & aliorum spiritualium, 4.

Non valet pœna apposita in promissione ingressus religionis, n. 5. & ibi lex pœnalis, & quantumcumque correctoria, quando non principaliter in odium aliquorum edita est, sed in animæ favorem, ad vitandum peccata, est extendenda.

Valet arrha, n. 6. Solvuntur arg. & explicatur c. Quam pio, 1. qu.2. n.7.

In hac controversia, *Bart. l.Titia, in princ. n. 12. ff. de verb. oblig.* dixit, nec ut pœnam, arrhas valere, & esse simoniam, sive metu pœnæ, sive præmii spe, sive nomine arrhæ, quovis modo pecunia interveniat, & incitetur quis pecunia ad religionis ingressum, per *c. Non satis, de simonia* ibi, *Prohibemus igitur ne ab his, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur.* Bartolum omnino sequitur *Anch. c. Gemma, de spons. n.7. & Cuman. dict. l.Titia, in princ. n. 2.* dicit spe præmii, aut metu pœnæ ad religionem invitari, esse simoniam: & idem docet de spe præmii, *Paul. ibi. n.3.* Et quidem non licere absque simoniæ vitio munera offerre conditione adjecta, & pacto ut recipiens ingrediatur religionem, docent *D.Th.2.2.q.189. a.9. corpore Hugo c. Quam pio, 1.q.2. & ibi Arc. vers. In ea gl. in fine, Host. c. Dilectus, el 2. de simonia, super verb. Invitari,* ubi *Jo: And. n.7. Ant. n.6. Anc. n.8. Abb. n.7. Henr. n.1. & 3. Anan. n.5. Fel. nu.2. Turr. d.c. Quam pio, n.1. Ang. Simonia 3. n.26. Silv. Rel.2. q.2.* Imo de Baptismo, cum sit omnino necessarius ad salutem, non licere dona tradere ea lege, ut recipiatur, docent *Anch. Ant. Abb. Fel. ibi. Abb. c. Cum in Eccl. de simonia, n. 7. D. Ant.2.p. tit.12.c.2. §.1. Rosel Simonia, 1.n.19. Ang. Simon. 9.n.26. Sil. verb. Simonia, q.8. dict.3.* ubi *Armilla n.30.* & ducuntur omnes hi *c. Quam pio 1. q.2. ex Bonif. Pontifice*, ibi, *dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio* & *c. fi. de pactis*, ibi, *pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisq; conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti,* & *c. Quæsitum, de rerum perm.* ibi, *pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.*

Sit tamen I. conclusio, offerre munera gratis, & absque aliquo pacto, ad captandam benevolentiam, & inducendum ad Baptismum, & ad religionem, & ad alia opera spiritualia, licitum est. In hac concl. conveniunt *D.Th. & reliqui, n.1. citati*, & est expressa sent. *D. Augustini, epistola ad Macedonium*, & habetur *c. pen. 23.q.4.* & ratio est manifesta, quia est liberalis omnino donatio, nullo pacto, aut conditione vestita, & in egregium finem dirigitur. Hinc infertur accipientem munera, conscium intentionis dantis, minime peccare accipiendo, integrumque illi esse, postea annuere, vel renuere votis donantis, quia ea donatio liberalis omnino fuit. Sic *Metina C. de restit. q.27. in solut. ad 4. vers. Corollarie sequitur non parum referre, P. Molina t.1. de just. tr.2. disp. 93. fine.* 2

II. Conclusio, pecuniis impedimenta auferre retardanti a Baptismi susceptione, aut a religionis ingressu, licitum est, verbi gratia, est aliquis affectus religionis instituto, impeditur eo quod æs alienum solvendo non sit, licitum est convenire cum illo sic, solvam debita, & ingredere religionem: similiter est Judæus Baptismum optans, impeditur timore restituendi per usuras acquisita, probe faceret, qui pecunias ad ea restituenda offerret, dummodo baptizetur. Quia hoc non est spiritualia emere, sed solum obstacula auferre. Sic docent *Archid. Fel. Turrecr. Rosel. Armil. ubi n.1. retuli, Abb. c. Cum in Ecclesiæ, de simonia, n.7. Ang. Simonia 2.n.13. Sylv. verb. Simonia q.8. dicto 3.* 3

4 III. Conclusio, contra primam sent. probabilius est, licitum esse offerre munera, ea lege, & pacto, ut is, cui offeruntur, efficiat aliqua opera spiritualia: verbi gratia, ut recipiat Baptismum, ingrediatur religionem, sacramenta frequentet, aut a peccatis recedat, dummodo non dentur in pretium illius operis spiritualis, sed ad inducendum ad illa. Prob. 1. quia passim in sacris litteris, promittit Deus bona temporalia servantibus præcepta, & id fieri per modum pacti, & conditionis, constat ex *Genesi c.12.* ubi dixit Deus Abrahæ hæc: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, faciamque te in gentem magnam*: & *Genes. 17. Ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me, & te, & multiplicabo te vehementer*: quæ verba manifestum pactum continent, ut dixit Zacharias Lucæ 1. *Sicut juravit ad Abraham patrem nostrum.* 2. Quia disp. 30. n. 15. dixi cum multis DD. licitam esse conditionem legato adjectam, ut illud comparet legatarius, si religionem ingrediatur, ubi pactum continetur. 3. Quia licitum est donare vitam infidelibus ad mortem damnatis, hac lege, ut baptizentur: quod usu communi receptum esse dicit *Metina*, usum approbans *d.q.27. in solut. ad 4.* ergo licitum erit alia munera offerre eadem lege, & pacto: quia ea condonatio vitæ, pretio æstimabilis est. 4. Quia durum est parentes damnare, qui pecunias, & vestes filiis promittunt, si sacramenta frequentent, vel a concubinis recedant, & dominos libertatem servis promittentes, si baptizentur, & viros pios, qui meretricibus dotes, quibus in matr. collocentur, spondent, si ad meliorem frugem se recipiant: nec potest dici in his casibus non intervenire pactum: quia hac conditione in pactum deducta, & acceptata, promittunt, alias non daturi. 5. Quia licitum est contrahere matr. cum infideli, hac lege, ut convertatur, *c. Non oportet, 28.q.1.* cur ergo non licebit alia munera offerre, eadem conditione adjecta? 6. Quia offerre munera infideli, pacto inito, ut Baptismum suscipiat, admittunt multi: ut *gl. c. Quam pio, verb. Interventu, 1. q. 2. & c. Debet, 23. q. 4. gl. unic. & c. Dilectus, el 2. de simonia verb. Invitari, & Archid. Host. Jo: And. Henric. n.1.* pro priori sent. citati, *& Sylv. Gabella 5.q.2.n.3.* ergo similiter ad inducendum ad alia spiritualia, licebit sub eadem conditione, & pacto dona largiri: quia necessitas Baptismi non aufert, quin res spiritualis & invendibilis sit, & si ea obligatio ex natura sua simoniaca esset, necessitas Baptismi minime accusaret offerentem, cum simonia contra jus naturale, & divinum sit. 7. Quia ea conditio iniqua non est ex se, nec allicere ad res spirituales muneribus, iniquum est, neque item aliquem lucro excitatum hæc efficere, quamvis simul intendat commodum temporale, dummodo in pretium rei spiritualis minime accipiat, ergo nulla est ratio, cur hoc illicitum sit. 8. Quia licitum est parentibus, & dominis, verberibus, & minis cogere filios, & servos, ut diebus feriatis sacro intersint, suo tempore confiteantur, a vitiis desistant, cur ergo non licebit muneribus datis sub ea conditione? Tandem, quia si hujusmodi pactum labem aliquam contineret, ea esset simoniæ, quod adversarii ultro fatentur, & constat, quia nulla alia deformitas apparet, cum res petita in conditione, licita sit, & finis honestus intendatur: sed omnino est immune a simonia, ergo est licitum. Prob. minor, quia simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi rem spiritualem: ut tradit *D.Th.2.2. q.100. art.1.* quem omnes sequuntur, sed qui accepta pecunia religionem ingreditur pacto inito, non vendit religionem, offerens pecuniam, non emit: quia de ratione venditionis est, ut venditor aliquid tradat, & emptor aliquid accipiat; sed ingrediens religionem nihil tradit, nec offerens munera, aliquid recipit: qua ratione utitur *Card. c. Dilectus; el de simonia, n.3. & Sylv. Gabella 5.q.2.* ad probandum nullam hic intervenire simoniam. Hanc sentent. tenet *Card. ibi: & Adrianus* saltem in rebus, ad quas quis de præcepto tenetur *quodlib.9.a.3 lit. KK. propos.1. in parvis voluminibus, f.205. Metina, C. de restit. q.27. in solut. ad 4.* saltem cum speratur aliquid maxime utile futurum saluti muneribus inducti, aut aliorum: & videtur tenere *Nav. c. Inter verba, in 2. edit. concl.5. corol.1. n.20.* ubi hæc ait, *hien azen los que prometen a sus hijos, y criados, ut tanto a los que se confesaren y comulgaren tal dia*: pro eadem sent. est *Angl. floribus, 2.p.q. Quis teneatur restituere, a.1. diffic 15. concl. 6. f.191.* ubi docet, licitum esse pretio aliquem ad bonum inducere: & tandem hanc sententiam sustinet: & late probat *P.M. l.t.1. de just. tr.2. disp.93. concl.4. usque ad finem disput.*

5 IV. Conclusio, si pœna apponatur in contractu ingrediendi religionem, cum religiosis, vel alio homine inito (secus enim esset in voto facto Deo, sicut etiam in voto matr. ineundi, quando id validum est, teneret pœna) est prorsus irrita. Probatur, quia quamvis hoc in matr. spirituali dispositum non sit, in solo enim temporali loquitur textus *c. Gemma, de spons.* eadem tamen omnino ratio, quæ est libertas, quam jus desiderat in matr. temporali, procedit in spirituali, cum totum jus canonicum, & maxime *Trid. tota sess. 25. de regular.* summam in religionis professione libertatem exigat. Et confirm. quia valet argumentum a matr. carnali ad spirituale, cum eadem subest ratio, ut late *Everardus loco a matrim. carnali ad spirituale*, sed hic non tantum eadem, sed multo urgentior ratio libertatis procedit, cum enim religionis vinculum difficilius sit, & statum perfectissimum contineat, majorem libertatem petit, quam matr. carnale, quod naturali appetitui conforme est. Præterea, quia decretum irritans pœnam in matr. temporali, non est pœnale, nec in aliquorum odium, & punitionem editum, sed in favorem animarum, ad occurrendum peccatis, & scandalis, quæ ex matr. coactis sequuntur, lex autem quamvis pœnalis, lata principaliter in favorem animarum, est favorabilis, & extendenda ex identitate rationis, ut docent *Host. c. pen. fine, qui filii sint legit.* ubi *Jo: And. n.5. Ant. n.9. Anchar. n.5. Abb. n.5. & 6. Henric. n.10. Alex. de Nevo n.7. Præpos. n.3. Bart. auth. Sacramenta puberum, n.19. C. si advers. vend.* ubi *Jason. n.72. Franc. c. Sciant cuncti, de elect. in 6. n.6.* addent quantumcumque lex correctoria sit. *Castillol. 49. Tauri, n.14. Cov.4. decret.2.p.c.6. initio, n.12.* ubi alios refert: *Perez lib.5. ordinam. t.1. l.1 f.39. col.1. Gratian. reg. 111. n.6. Flamin. de resign. benef. l.11.q.2.n.17. Azebedo lib.5. recop. tit.1.l.2.n.4.* & idem quando lex pœnalis est in favorem Ecclesiæ dixit *Gl. d. c. Sciant cunctis, verb. alios*, quam sequuntur *Domin. ibi, n. 6. & Francus, nu. 6.* ergo nil mirum est si extendatur ad matr. spirituale, in quo eadem, & fortior ratio militat, & ex professione metu pœnæ coacta, peccata, & scandala animarum sequuntur.

Ultima conclusio, arrhæ valent in contractu ingrediendi religionem, ut si quis religiosis promitteret, se habitum induturum, & in signum promissionis implendæ, traderet arrhas, valerent: argumento deducto a matr. carnali, in quo valent ad spirituale, & sicut illius libertati non repugnant, ita nec hujus: nec intervenire arrhas, vitium aliquod simoniæ continet, cum nihil ematur, nec vendatur. 6

Ad textus adductos pro priori sent. respondetur. *c. Non satis*, nihil probare: tantum enim decidit nihil conferendum esse religiosis, ut aliquem ad religionem admittant. Ceteri autem textus damnant simoniaca omnia pacta in rebus spiritualibus, in quibus aliquid traditur, & recipitur, quod secus est hic, ut explicui, n. 4. in ultima ratione. 7

DISPUTATIO XL.

Utrum valeat pactum in sponsalibus adjectum, ut vir teneatur in certo oppido moram trahere cum uxore, & si vir fidem frangens, alio migret, teneatur uxor eum sequi, & valeat pœna frangenti fidem imposita?

SUMMARIUM.

Prima sent. nec pactum, nec pœnam, obligare: & ita teneri uxorem sequi virum, num. 1.

2. Sent. verior, valere: & explicatur lex, Titio centum, §. Titio centum, el 2. ff. de cond. & demonstr. 2.

Quid si nova causa recedendi superveniat, 3.

Quid si pactum juramento confirmetur, 4.

An pacti fide violata, pœna interposita debeatur, 5.

An uxor teneatur sequi virum pacto non servato, migrantem alio, 6.

An valeat conditio primogeniorum, ut successor teneatur in certo oppido habitare, 7.

An valeat legatum factum alicui, dum in certo oppido habitaverit, vel ea conditio rejicienda sit, 8.

Difficultas hujus disp. consistit in intellectu textus, *l. Titio centum, 70. §. Titio centum, el 2. ff. de condit. & demonst. ibi, Titio centum relicta sunt, ita ut a monumento meo non recedat, vel ut in illa civitate domicilium habeat, potest dici non esse locum cautioni, per quam jus libertatis infringitur*, ex quo textu constat non valere conditionem legato adjectam, ut teneatur legatarius in certo loco habitare, eo quod quamdam servitutis speciem contineat: & proinde legatum rejecta conditione deberi, ergo similiter eadem conditio a sponsalibus rejicietur, & ita sentiunt *Alex. de Nevo, c.1.n.9. de conjug. lepr. Cov.4. decr.2.p.c.7. init. n.5. Ant. Gom.2. var. c.10. n.24. Salzedo addit. ad regul. 800. Bernard. Diaz, Azebedo l.5. recop. tit.6.l.11. nu. 21. & 22.* & ex Theologis, *Lud. Lop.2. p. instr. de matr. c.54. fin.* Addunt *Ant. Gom. & Azebedo eo. n.12.* virum non servantem hoc pactum, teneri ad interesse, si quod ex pacti observantia sequebatur uxori: addit *Azebedo* teneri etiam ad pœnam interpositam: sed melius *Alex. de Nevo, d.c.1.n.10.* ait supposita pacti nullitate, minime obligare pœnam, quia quoties pactum irritum est, pœna ei accessoria corruit, ut probavi supra disp. 7. n. 17. 1

Sed multo certius est id pactum validum esse, & teneri virum fidem servare. Prob. quia sicut in traditione rei suæ potest quilibet pactum interponere *c. Verum, de condit. appos. l.1. C. de pact.* ita in traditione sui per matr. 2. quia *c. Gemma, de spons. & l.Titia, ff. de verb. oblig.* sola pœna in matr. conjungendo, vel dissolvendo interposita, prohibetur, eo quod matrimonii libertati obstet, sed hæc pœna est potius in matrimonii favorem, ut conservetur individua vita, & cohabitatio inter conjuges. 3. quia *d. lex Titio centum*, reprobans conditionem habitandi in certo loco, intelligitur, dum ea conditio vana est in nullius favorem cedens, ut intelligunt *ibi Bart. d. §. Titio centum, n.4. Cum Imola, Paul. ibi, Alex. de Nevo Jo: Lup. Greg. Lop. statim allegandi, Acosta 2. select. cap.19. num. 5. Pelaez de Meres, de major. 1. part. quæst. 57. numer. 3.* Sed hoc pactum cedit in maximum uxoris favorem, ne patria 2